





1. Carpov (i. iac.) Specimen quintum  
de Applicatione Methodi Scienti-  
ficae ad theologiam revelatam,  
jene.
2. Carpov (i. ioh. Bened.) Diff. de  
jure deciderendi Controversias Theo-  
logicas, Lipsie, 1695.
3. Deutschmann (i. Abrah. Henr.)  
Diff. de Immortalitate et Immuta-  
bilite Divine Essentiae, Witten-  
bergae, 1692.
4. Geriner (i. Falom.) Diff. II. De Exer-  
cita triumphante in Coelis,  
Wittenbergae, 1695.

5. Greteri s. jac. / diff. Duae Matrimo  
nales, Augolladij, 1611.
6. Grosschaim s. Georgi / diff. De Cultu  
divino Enoschi, Erfurt, 1639.
7. Harenberg s. ioh. Christoph. / Theologia  
primorum Christianorum Dogmatica,  
Brunsvigi, 1746.
8. Hass s. Corn. / Dissertationes Tholo  
gicae IV. in Prophetam joelis,  
Bremo, 1647.
9. Hildebrand s. joach. / diff. de  
jejunio, Helmstadij, 1719.
10. Croticum friendi ad Soicrum  
Iuvm, Lipsie 1708.
11. Programma ad Festum Nativitatis  
Christi de Christo primogenito  
ante omnen Creaturam in Academ  
ia Julia Carolina, Helmstadij
12. Philosophumina de Angeles  
Helmstadij 1748


13. Fabritii / joh. diff. de Reverentia  
erga Sacra, Helmstadt, 1706
14. Läkemacher / joh. Gottfr. diff  
de Palo Carni Pauli dato,  
Helmstadt, 1722.
15. Leisner / joh. frid. / programma  
an Humilitas Virtus Christia-  
norum sit propria, Cifd, 1751
16. Molani / Geth. Wolt. / ~~diff~~ Theser  
miscelle, Rinteli, 1666.
17. Niemeier / joh. Bartholdi /  
programma de Ecclesia Novi  
Testamenti, Helmstadii, 1703.
- 18 — programma contra Soci-  
minor, Helmstadt, 1703.
- 19 — programma de Christiane  
Religiosis Partibus, Helmstadt
20. Calovij / Abrah. / Curcelaei  
Religio triplex, Wittemberge  
1705.  
1778.

- 21 de Rewa / Alexij / observatio,  
nes Epistola Joh. Iosephi a  
Trautkson Wittenbergae, 1712
- 22 Ritmejer / Christoph: Henr. / diff.  
de Nomini bus Divinis, Helmstadt  
1705.
- 23 ————— Diff. exponens Nomenclatura  
mortis ex Novo Testamento,  
Helmstadt, 1710.
- 24 Schmidt / Joh. Joach. / diff. III, de  
Theologo non contentiose, Helmstadt  
1723.
- 25 Schmidt / Joh. Joach. / diff. de Indulgen-  
tiarum Therauro nullius Prety,  
Argentorati, 1673.
- 26 ————— Diff. de Cantico Zacharie  
Wittenbergae, 1689.
- 27 Schramm / Ioseph Cen. / diff. de  
Controversiis cum Socinianis,  
Helmstadt, 1721
- 28 Schubert / Joh. Ernst. / diff. de Salutari  
Efficacia Resurrectionis Jesu Christi,  
Helmstadt, 1748.
- 29 Morhem / Joh. Laur. / diff. de Theologo non contentiose  
Helmstadt, 1724.

- 29<sup>30</sup> Schumacher f. Alb. / diff. de Amuleto  
quodam Ghosticorum, Bremo, 1717.
- 31 Sontay f. Christoph. / diff. sistens  
Machinationes aliquot Religio-  
sas, Altensi, 1708.
- 32 Stearne f. Joh. / diff. de Electione  
Dublini, 1664.
- 33 Tossani f. Dan. / diff. de recta Eccle-  
siarum Reformatione, Heidelbergae  
1597.
- 34 Walch f. Joh. Georgij / diff. De Origine  
Trinitatis, iene, 1732.
- 35 Wenzendorff f. Gottl. / diff. de primo  
Hominis Statu, Wittenbergae, 1716
- 36 ————— diff. sistens Oscandrinum  
in Pietismo reratum, Wittenbergae  
1707.
- 37 ————— diff. de Libris Antidiotis  
de vero Christianismo, Wittenbergae  
1717.
- 38 Weburzij f. Pet. Tobie / programma  
de Colloquio Quedlinburgense,  
Helmstadji, 1710.
- 39 programma, ad singula  
doctrinae Christianae Capita,
- 40 Helmstadji 1703 programma de Interpretatione  
Scripturae, Helmstadji 1703'

41 Witter J. Henr. Denckh. / Diff. de  
Purgatorium, Helmstadt 1704.

42 Zeltner J. Gustav Georgii / Diff.  
de Horologio iohannis.  
Hofn 1724.



DE 7  
THEOLOGIA  
PRIMORVM  
CHRISTIANORVM  
DOGMATICA,

EX  
MONVMENTIS PATRVM ECCLESIASTICIS  
COLLECTA,  
PROGRAMMATIS SECUNDI BRVNSVICENSIS LOCO  
DISSERIT ET  
PRAELECTIONES SVAS PVBLICAS  
SEMESTRI PROXIMO PERAGENDAS,


ATQVE IN

ILLVSTRI CAROLINO  
BRVNSVICI DEO ADNVENTE EXPROMENDAS,  
DENVO INDICIT

IO. CHRISTOPHORVS HARENBERG,  
PRAEP. COEN. S. LAURENTII SUPRA SCHENINGAM,  
GEN. SCHOL. INSPI. DOC. IN CAROLINO HONORARIUS  
AC HONORARIUS REGIAE EIVSQYE BORYSSICAE  
SCIENTIARVM ACADEMIAE SODALIS.

---

BRVNSVICI MDCCXLVI. PASCH.





## Tractationis summa & synopsis.

- §. 1. Recenset auctor nonnihil de praestantia Carolini ac Studiosorum diligencia, eamque in posterum suscipit acuendam.
- §. 2. Notio de ecclesia suppeditatur, qualem prima viderunt saecula.
- §. 3. Primi Christiani numerum canonicorum s. script. librorum tenuerunt genuinum, a nostro haud discrepantem.
- §. 4. Qui cum immixtuerunt vel libros truncarunt nouosque supposuerunt, ecclesiae christianaे haud exstiterunt confortes.
- §. 5. Primi Christiani recensionem librorum utriusque Instrumenti diviniorum ab aliis libris diligenter secreverunt & solite adseruarunt.
- §. 6. Traditionem Apostolicam secuti sunt primi Christiani, ac heterodoxiam, capitibus doctrinae christianaē aduersantem, repudiariunt.
- §. 7. Doctrina theologiae coepit Saeculo II. in compendia redigi.
- §. 8. Symbolum Apostolicum, ab apostolis haud scriptum, sua gaudet auctoritate, licet id omnia fidei christianaē haud complectatur, atque disciplina arcani, a prudentia docentium segreganda, a primis procul absuerit Christianis.

- §. 9. Nonnihil addisci potest, huc referendum, ex scriptis doctorum ecclesiae,  
ex Apocryphis, immo Haereticorum reliquiis.
- §. 10. Recensentur Patres primae ecclesiae potiores, & ei quidem, quorum non-  
nulla existant scripta.
- §. 11. Patribus ecclesiae in rebus, ad capita fidei proxime plerumque haud  
referendis, nonnihil naevorum adhaesit.
- §. 12. Omnes Chribiliani doctiores solent ad confessionem doctrinae suae cum  
primis Christianis prouocare.
- §. 13. Unum Deum coluerunt primi Christiani, ac Christum Deum hominem-  
que, ex virgine natum, Jesum Christum.
- §. 14. Eadem, Trinitatem existere, crediderunt, eamque religiosissime colue-  
runt.
- §. 15. Doctrina eorum de descensu Christi ad inferos ac statu animarum se-  
paratarum.
- §. 16. Eadem agnouerunt Spiritum Sanctum Deum Deumque trinum, creato-  
rem, mundi gubernatorem, mala permittentem, iusti iniustique iudicem.
- §. 17. Ipsa haud coluerunt religiose Angelos, Sanctos, Imagines, Crucem,  
alia creatura.
- §. 18. 19. Eadem docuerunt, protoplastos a Satana esse deceptos, labem ho-  
minibus instantem esse ex natalium natura, & eam regeneratione secundum  
reatum poenamque tolli.
- §. 20. Primorum Christianorum doctrina de iustificatione peccatoris respisen-  
tis coram Deo.
- §. 21. Eorum doctrina de baptismo.
- §. 22. Eorum doctrina de sacra coena, templis, & confessione auriculari.
- §. 23. De Ecclesia & communicatione idiomatum in Christo.
- §. 24. Adhortatio ad Studiosos & preces votaque pro SERENISSIMI salute.
- §. 25. Designatio praelectionum in proximum semestre.

Generosi, Nobilissimi, Florentissimi,  
 Ornatisimique Iuvenes, Auditores, in CAROLINO  
 artibus, linguis, studiisque optimis ac scientiis addicti,  
 Honoratissimi, Suauissimi,

## §. I.

 *E*xposui VOBIS hucusque nutu iussuque DVCIS SERENISSIMI clementissimo, quantum in me fuit situm viresque divinitus mihi indulxæ tulerunt, *historiam sacram* aequæ ac *civilem specialiorem*, *geographiae & mathematicae & politicae & physicae litterariaeque superstructam*. Pertractavi dimidiam fere *Actorum Apostolicorum* partem congruenter fontibus graecis ac antiquitatibus sacris & corollariis theologicis inde sponte sua profluentibus. *Hesiodi Ascreai seu Cumaei Opera & Dies* edisserui, extricaui, & ad vmbilicum fere adduxi, proxime eis coronida impositurus. *Scriptorum graecorum recensionem* suscepit commentariis illustrandam eisque praemissi antiquitates *Graecorum litterarias librariasque*. In hoc studio decurendo desudauit mecum industria Vestra. In his celaboribus qualiscunque opera mea, studiis Vestris dedicata sancteque addicta, fuit distenta & occupata. Qualis sit fueritque imperiorum, Regnorum, Principatum, Rerumque publicarum, forma & indoles, qualis imperandi modulus, quaenam terrarum natura, vis, cultura, mores, religio, res litteraria, heraldicae rei ratio, Ordinum illustrium fundatio ac indoles, quaenam imperantium fortuna secunda aequæ ac aduersa, quantæ extiterint imperiorum vicissitudines, qualia iura, leges, quales sint gentium linguae, iu-

ra quaesita, controversiae illustriores, Vobis exposui. In hisce rerum  
 fastigiis enarrandis diligentia Vestra mecum fuit versata. Stimulos &  
 calcaria, immo saepius alas, mihi Vestra addidit attentio. Laudibus  
 Vestris id proprium est, quod recessiones prouinciarum terrarumque  
 geographicas ex promta memoria & certatim & aemulationis honestissi-  
 ma studio inflammati adornastis, publice proposuistis, latineque, gal-  
 lice, & germanice, expediuitis. Nostis enim omnium optime, quan-  
 tum haec animi oblectamenta, haec diligentiae publicae specimina, vale-  
 ant & adiumenti conferant ad firmitatem memoriae adquirendam, ad  
 vultum cuiuscunque sustinendum, ad disciplinas feliciter hauriendas,  
 atque ad exercitationem linguae sensim sibi conciliandam. Profecto  
 nisi ea, quae comprehendimus animisque informauimus, expromere &  
 cum aliis communicare possimus, tunc plerique & vberimi earum re-  
 rum, quae ingenii nostris instillatae sunt, intercidunt pereuntve fru-  
 ctus. Noste res gestas, & tamen ignorare, vbinam & quando illae ac-  
 ciderint, est nihil aliud ac in speculo nauigare vel potius instar lamia-  
 rum atque larvarum huc illuc sine tramite, sine filo Ariadnaeo, vagari  
 ac circumferri. Eam ob caussam Vobis, CARISSIMI, exposui geo-  
 graphiam ita, vt res, in plerisque regionibus a primoribus exterisque  
 gestas, ad normam successionis genealogicæ & certas temporum dimen-  
 siones simul attemperauerim. Aduinxisse omnia momento complu-  
 ra, nisi numerus horarum fuisset ineundus. Horam vix vnicam praet-  
 termisi, praelectionibus meis clementissime praedefinitam, eo quod  
**Hervs Domvnsque Indvlgentissimvs** ita fieri iussit, & hanc  
 Ipsi sanctissime debeo obedientiam praestare intemeratam. *Graeca*, fa-  
 tebor enim, non sunt cuique ad palatum. Elegantia Gallica, suavitatis  
 sermonis latini, illecebrae & Sirenes philosophicae, ac robur Matheseos,  
 physicis amoenitatibus ac experimentis iunctum, præcipue autem Theo-  
 logia & naturalis & diuinior altera, suas potissime sibi depositunt par-  
 tes, suum merito locum occupant, laudibusque iustissimis ad coelum  
 tol-

tolluntur. Nihilominus spectabilis quaedam coetus Vestri suauissimi copia ad fontes hebraicos & graecos, diligentissime imbibendos, properauit: ac nonnulli nequidem poetas graecos, liberalissima Anglorum ac Florentinorum ingenia imitati, a studiis suis voluerunt alienos vel disiunctos. Haec sunt, *Generosi Nobilissimique Musarum Cultores Carolini*, Vesta Brunsuici initia, haec sunt optimorum Vestrorum in Carolino pertractatorum studiorum auctoramenta. Hae sunt primitiae ingeniorum Vestrorum, in Carolino exhibitae, ad omnem posteritatis memoriam praedicabiles, ac olim memorii Vestris non sine gaudiis obuersaturae. Hoc diligentiae Vestrae est atrium, quae saeuissimo hieme non extincta, sed accensa; non sepulta & obruta, sed excitata; non fracta & profligata, sed mirifice erecta & obsfirmata, fuit. Quid de talibus tamque praeclaris Phoebi fatellitibus, pietatis inter studia quotidiana formati, non est porro sperandum? Praeuideo iam florem & largissimas diligentiae Vestrae messes, naturam veris & aestatis iucundissimam ornamentiis suis exaequaturas, immo superaturas. Prospicitis hoc patet & hac via saluti Vestrae, ad omnem instantis vitae reliqua decursum pertinenti. Et ipse mihi praeuidere videor, fore, ut Germaniam & bonam Europae cultioris partem paullo post ornetis, ac domi militiaeque, in aulis, foro, tribunalibus, curiis, suggestu, in cathedra & acie, in munibz praedicandis ac plausum ferentibus, condecoreris. *O generosi & praestantissimi tun Dei, tun virtutis, ac litterarum excellentissimarum cultores! o lux nostra! o gaudium nostrum!* Per coniunctionem cum Deo, per probitatem, per studiorum ornamenta, eritis toti terrarum orbi vtiles, salubres, commodi, beati. Id vnum a *Vobis* serio & amanter precibus omnibus contendeo, vt illud gaudium, quod animo meo de salute Vesta exoptatissima futura praecepi eique insculpsi, mihi numquam non perfet integrum & illibatum, velitis. Calcaribus quidem haud admodum indigetis. Generosum illud & praeclarum, quod ingenii Vestris est inspiratum & incostum, Deo duce & auspi-

ce

ce Musa, *Vos* continuo monet, pulsat, crebroque aurem personat purgatam. Addam huic fiduciae meae, quam elegantia & diligentia *Vestra* mihi adflauit & impressit, momenta cummaxime duo. Commentabor primum pauca ad historiam dogmatum ecclesiae primae christianaee. Adiungam deinde gaudia mea, *Vobis* digna, preces & vota pro SERENISSIMO CAROLINI FVNDATORE ac NVTRITORE, & earum, quae mihi in posterum demandatae sunt, praelectionum rationem. Posthaec vero *Vobiscum* alibi ac intra fores differere & sermones sociare animus est. Adspiret modo adnuatque conatibus illa Dei benignitas, quae CAROLVM ad Saeculum reparandum clementer commouit, quae igne sanctissimo accedit pectus animumque CAROLI, DVCIS, PRINCIPIS, PATRIS PATERIAE, SERENISSIMI, SAPIENTISSIMI, INDVLGENTISSIMI, quo nec religionis purioris splendor nec scientiarum amplitudo praecellentissima, nec virtutum omnium chorus, ornamentum habet praestantius, munimentum tenet pulcrius, praesidium nouit commendabilius. Ite nunc, si libet, tantisper missa est. Sin vero me porro comitari e re *Vestra* esse existimatis, corollarum *Vobis* nonnihil suppeditabo, ex historiae ecclesiasticae vireto deceptum, idque, si summag spectetis, satis pretiosum suoque fulgore meritoque oculos mentesque perstringens.


§. II. Quaerimus in ipso exordio & quidem iure nostro, quae nam & qualis doctrina ecclesiam primam christianam collustrauerit ac christianis non paucis steterit sanguinis impendio. Ecclesiam designo, quae exsistit coetus hominum mortaliuum, doctrinam Christi & Apostolorum candide profitentium ac per eam ad salutis sempiternae gaudia obtinenda contendentium. An aliqui, qui nomine christianorum censeri volebant, & sibi & aliis fucum fecerint, non disquiro. Mihi enim non licet animos hominum olim demortuorum introspiceret. Deus est solus, qui abstrusas hominum destinationes ac reconditam ani-

animorum indolem dispicit & clarissime contemplatur. Ob ordinem coetus illius externum diuisio exsttit iam inde ab ecclesiae christiana originibus inter homines, qui alias docuerunt ac dispensatione imbuierunt sacramentorum, quae tunc exstabant & adhiberi solebant: & inter homines, qui doctrinas eorum audiebant, explorabant, & pro ratione earum excipiebant. An statim illi dicti fuerint clerici, hi laici, non dispuo. Omnis enim ecclesia Christi genuina est Dei κληρος και λαος hereditas & populus. Nota sunt illa Tertulliani a). Differen tiam inter ordinem & plebem constituit ecclesiae auctoritas, & honor per ordinis confessum sanctificatus, adeo, vbi ecclesiastici ordinis non est confessus, & offers & tinguis, & sacerdos es tibi solus. Sed, vbi tres, ec clesia est, licet laici. De urgente necessitate, quum doctores ecclesiae haud sunt praefecti, Tertullianus hic verba facit, ac de eo, quem doctores obtinuerunt extrinsecus, in ecclesia honore. b) Ecclesia olim non in solo Episopo Romano, nec in Episcopis omnibus solis, constituit. Cum vero Patres aduersus haereticorum turbam ex successione traditionis apostolicae pangerent argumenta, prouocare ipsi simul cooperunt ad sententias & auctoritatem ecclesiarum, ac hanc in auctoritatem presbyterorum, tradita dogmata callentium, resoluerunt, nec non, dignitatem episcoporum c) esse exaequatam, docuerunt ita, vt praerogatiuam quandam ordinis Episcopo Romano, qua Petri in cathedra & doctrina d) successori, largirentur e). Aequalitas Episcoporum, quarum vnum alteri vel praefesse vel subesse negabat Cyprianus, periiit tandem per Archiepiscopatus introductos. Semina iam saeculo tertio inclinante exstiterunt. Partus & forma saeculo quarto erat referuata. Doctores ecclesiae primae vixerunt tum ex beneficiis, a coetu oblatis,

B

tum

a) *De Exhortatione casfatis c. 7.*d) Cyprianus *Ep. 71.* p. 194.b) Cyprianus *Ep. 33.* p. 66. *Ep. 34.* p. 68.e) Ireneaus III, 3. Cyprianus *Ep. 73.* p.c) Cyprianus *Ep. 69.* p. 188. *Ep. 73.* p. 210.201. 203. *Ep. 43.* p. 83.



tum ex laboris sui commercio. Nemo eorum imperia circumspicere sibi parare potuit politica. Episcopus Romanus saeculo demum octauo artibus miris, quas F. G. A. Orsi coloribus obduxit f), Abbas vero Vertot g) candide indicauit, ditioni partis Exarchatus euersi coepit praesidere ac dominatus politici moderatorem agere praeter mortem Petri Apostoli.

§. III. De fontibus doctrinæ potius sumus solliciti. Litteras sacras, vtriusque Instrumenti libris comprehensas, primi Christiani pro fidei doctrinaeque suae summa, norma & regula, habuerunt. Ipsi libros V. & N. T. non alios sectati sunt pro diuinis, atque eos, quibus Protestantes idem pretium adhuc ponunt. Ut sic statuam, impellar auctoritate virorum Apostolicorum, qui, Ioanne adhuc superstite Apostolo, censum librorum N. T. a) constituerunt. Impellar auctoritate & fide Melitonis b), Episcopi Sardensis; Origenis c), ac ipsius Hieronymi d), vt Eusebium e) & Ruffinum f) omittam. Confer, obsecro, quae habet Humfredus Hodius ad calcem peregredi libri de *Bibliorum textibus originalibus*, anno 1705. Oxonii in primæ magnitudinis forma euulgati. Confer Syndici quondam Bremensis Gerhardi de Mastricht *Canonem sacrae scripturae secundum seriem saeculorum N. T.* 1708. Bremæ separatis ac posthaec anno 1723. g) conjuncte publica-

- f) *Della Origine del Dominio e della Sovranità de' Romani Pontefici sopra gli Stati loro temporalmente soggetti*, in Roma 1742, 8.
- g) *Origine de la Grandeur de la Cour de Rome à la Haye* 1737, 8.
- a) Io. Frickii *Commentatio de Cura veteris Ecclesiae circa canonem sacrae scripturæ* c. 3. p. 86, sqq.
- b) Apud Eusebium H. E. IV, 26, p. 191. edit. Cantabrig. 1720, fol.

- c) Origenes in *P. f. i. Comm.* p. 41. To. I. Opp. Colon. 1685, fol. Eusebius VI, 25. p. 289. sqq.
- d) In *Prologo galato*.
- e) H. E. III, 25. p. 118.
- f) In *versione Eusebii* l. c. & in *Expositione symboli apostolici*.
- g) In *Bibliotheca Bremenſi* Cl. VII. false. 1. p. 1. sqq.

blicatum. Catalogum hunc adolescens ad miraculum doctus Ioannes Philippus Baratier repetit pauculisque adiectis denuo in lucem Norbergae 1734. intra vnicam tabulam apud haeredes Homannianos h) emisit. Confer porro b. Ioannis Alberti Fabricii cogitata & materiem de canone scriptorum N. T. i) atque Cel. Laurentii Reinhardi Introductionem in historiam praecipuorum dogmatum ecclesiae euangelicae k). Concilium Carthaginense tertium can. 47. aequa catalogum librorum N. T. canoniconum texuit ac Innocentius I, Episcopus Romanus, epistola 3. ad Exuperium, Tholofanum in Gallia Episcopum, c. 7. concilium Laodicenum capite postremo, Augustinus l), alii. Accedit quod inter primos ecclesiae christiana doctores iam de *tribus in coelo testibus*, qui sunt illud unum, quod adoramus & inuocamus obedientia religiosissima, constitut. Designio illud venerabile Ioannis Apostoli pronuntiatum i) *Io. V. 7. in.* (Tertullianus n) certe, Cyprianus o), auctor profanus dialogi p), cui titulum praefixit *Philopatris*, ac omnes Ecclesiae Africanae Episcopi a. 484. id linguis excisis interuentu miraculi, fuerunt q) professi, nec nos de diuina illius origine

## B 2

- b) Gelehrte Leipz. Zeit. a. 1735. p. 716.
- i) In *Biblioth. gr.* IV, 5. §. 15. p. 177. fqq.
- k) *Sect. II.* p. 12. fqq.
- l) *De Doctrina christiana* II, 8.
- m) M. Frid. Ern. Kettneri *Loci I* *Io. V.*  
*Li. diuinæ autoritas, sacerdos, & vñsus.*  
Lipf. 1696. 4. Eiusd. *Historia dicti Johannei de sanctissima Trinitate* I *Io. V. 7.* Francof. & Lipf. 1713. 4.  
Zach. Grapii *Theologia recens controverfa* P. I. p. 187. fqq.
- n) In *Libro contra Praxeam*, c. 25. p. 296.  
*Qui tres unum sunt, non unus.*
- o) In L. de *Unitate Ecclesiae* p. 109.  
(& L. de Trinitate ad Felicem Notarium) *De Patre, Filio, & Spiritu sancto*, scriptum est, hi tres unum sunt, conf. ep. 73.

- p) Opp. Luciani Amstelod. 1687. T. II.  
p. 568, 770. Lucianus Sophista, Imp.  
Iulianus amicus, videtur scripsisse Dia-  
logum *Philopatris* ad imitationem  
Luciani Samofateni. Cel. Ioa. Matth.  
Gesneri *Diss. de Auctore Dialogi Phi-  
lopatris*. *Journal des Scavans* 1744.  
Nov. p. 303. ed. Amstel.
- q) Viator Vitenfis *de Persecut. Vandali*.  
L. III. Euagrius H. E. IV, 14. Ioan-  
nes Millius ad N. T. Graecum p.  
583. I. Fr. Spanheimius H. E. T. I.  
p. 1037. Io. Andri. Schmidius in *Diss.*  
*de Edingensis mysterium Trinitatis eloquentibus Helmst.* 1709. 4. Theo-  
dorici Ruinarii *Historia Persecutio-  
nis Vandalicarum* Parisi. 1694. 4. Vener.

1731



gime ac auctoritate sinunt dubitare. Non est quod in re clara & com-  
pertissima simus longi. Frustra vero est Iohannes Chrysostomus a S.  
Iosepho, qui canonem librorum sacrorum V.T., ab Ecclesia Romana  
in Synodo Tridentina adprobatum, in concilio Nicaeno iam stabilitum  
esse contendit in *Diss. de Canone librorum sacrorum constituto a S. Patri-  
bus in magno Nicaeno Concilio*, quam anno 1743, 4. Romæ in lucem  
publicam emisit.

§. IV. Infestabant primos Christianos ei homines, qui, scabiosae  
Metaphysices ac ostentationis philosophicae eiusque mirum in modum  
ventosae patroni & sectatores, varios N. T. libros pro norma opinio-  
num suarum vel adsensu dignabantur vel repudiabant, immo suppositi-  
tios aliosque libellos procudere suarum ducebant esse partium. Qui  
vero exinde dubitationes vel tricas fidei librorum N. T. diuinitus in-  
spiratorum obiectare vel obmoliri student, nae illi littus arant ac Ae-  
thiopes dealbant. Homines illi, quibus iam olim nomen haereticorum  
velut macula foedissima inhaesit, ante Carpocratianos nequidem sese  
vocarunt *Christianos*, sed philosophos egerunt eclecticos, qui decre-  
ta Zoroastris, scita Aegyptiorum, nodos Graecorum, & quisquiliis  
praeterea nescio quas in vnum corpus philosophicum contorquere,  
eisque nonnumquam aliquid ex christiana vel potius Iudaica religione  
adsuere, consueuerant. Hi ad vnum omnes de origine & fide libro-  
rum N. T. diuinorum iudices erant inepti. Ipsorum r) deliramenta iam  
ab Apostolis ac eorum in docendo successoribus notata & confutata e-  
rant. Ad ipsos libelli sacri haud fuerant missi. Apud ipsos exempla-  
ria prima haud erant deposita. Ipsi nequidem lectionem librorum N. T.  
vlli

1731, 4. Pars prior continet Victoris  
Vitenis opusculum, iam a Petro Fr.  
Chiffletio 1665. editum, posterior  
Ruinarti historiam de ortu, progre-  
su, & fine istius persecutionis. Re-

cenfionem editionis utriusque Ruin-  
arti habes in *Actis Lip.* Tom. II.  
Suppl. Sect. IX. p. 407. sqq. & a. 1732  
in *Nous Er. Att.* Sept. p. 420. sqq.  
x) Tertullianus de Praefr. c. 35. sqq.

vlli penſi faciebant, niſi hos truncandi, adulterandi, eneruandi ac auctoritate ſua exuendi traherentur cupiditate. Scriptor quidam ſaeculi tertii christianus a) de Artemonitis, qui auſi fuerant Christianorum adpellationem ſibi imponere, nec tamen vnuquam Christianis coetibus adgregati erant, hunc in modum: *Sacras scripturas audacter adulterauerunt, fidei vero antiquae ac primitiuæ regulam reiecerunt, Christum ipsum denique (qua Deum) ignorauerunt, non inquirentes, quid sacrae doceant litteræ, ſed cuiusmodi ſyllogismorum figura ad confirmandam impietatem ſuam reperiatur, affidue meditantes.* Omittimus reliqua memorata digniſſima verba, in quibus indeſes & lineamenta patriarcharum Photini ac vtriusque Socini repræſentantur ac exhibentur. Ne Christiani viderentur ea ſententiarum fece corrupti, quam Theodosius coriarius Artemonitarum auctor, eousque coetus christiani ciuiſ, ad fugam ſuam anno fere 192. velandam perſecutioni intentatae oppoſitam, excogitauerat, ipſi & Theodotum & Natalem, & Asclepiodotum & Theodotum collybiftam, eorumque ſocios, e communione ſua diſcedere resque ſuas ſibi habere iuſſerunt b), eo quod hi a fide Apoſtolica & doctrina christiana defecerant vitaueque potius conſeruandæ huius caducae, quam alterius per infectionum, Christi cauſa ferendarum, moleſtias adtingendæ, fuerant ſtudioſi. Mirum itaque non eſt, homines, ecclſiae Christi infestos, eiusque conſortio viſos proſuſis in dignos, nouis libris c) effingendis ac genuinis deprauandis d) operam nauaffe ſuam eamque infortunatam. Ne tamen nobis perſuadeamus,

B 3

Chri-

a) Apud Eusebium H. E. V, 28. p. 293.  
ibid. Confer Tertullianum de Praeſcri-  
ptione Haereticorum c. 38. p. 437.

Catholicae triū priorum ſaeculorum.  
c. 3. p. 26.

b) Eusebius I. c. Tertullianus de Prae-  
ſcript. Haeret. c. 53. Augustinus de  
Haeret. c. 33. Epiphanius Haer. c. 4.  
Georgius Bullus in Iudicio Eccleſiae

Eusebius H. E. III, 25. p. 191. ſqq.

c) De Manichaeo id tradidit Archelaus  
in Actis cum Manete p. 99. & Iac.  
Tollius in Itinere Italico p. 142. nec  
non Augustinus de utilitate creden-  
ti. c. 2. 3.



Christianos a locis, vbi Apostolorum prima exemplaria fuerant conspecta, examinata, & adprobata, satis disiunctos, caeco fortuitove impetu libros N. T. singulos adsensu ac veneratione suscepisse, prohibent illae tergiuersationes, quibus passim coetus nonnulli christiani remotores ad tempus vsi fuerunt. Horum cautio ac in credendo tarditas nobis magis est praesidio quam offensioni, tantum abest, vt inde conscientiae nostrae tranquillitas labefactetur.

§. V. Ea doctrinae capita, quae Iesus, Apostoli, ac eorum discipuli coram docuerunt mortales, a doctrinis in sacro N. T. codice perscriptis adeo non sunt aliena, vt potius summa eis vbiique insit concordia, atque vt illa nonnisi vnam eamdemque disciplinae amissim ac normam a) constituant. Ad hunc vero scopum singula collineant, vt ratio aeternum feliciter viuendi, ac animum in hac vita tranquillandi, non aliunde, quam ex hoc fonte, peti debeat & arcessi. Huc auctoritas doctrinarum b) praecipua redit. In his libris fides doctrinarum christianorum vltima radibus est defixa. Gal. I, 8. 9. 1 Cor. XI, 23. Col. II, 7. Laudat Clemens Alexandrinus c) illud e Petri Praedicatione, libro apocrypho, deceptum, ἀδεν ἄτερ γεαφῆς λέγομεν, nihil sine litteris diuinioribus pronuntiamus. Eodem modo iam Paulus 1 Cor. IV, 6. vetuit τὸ, ὃντερ ἐ γέγενται, Φεοντινοὶ vltra id, quod scriptum est, sapere. Ne autem libri diuersi cum scriptis Apostolorum ac virorum diuinorum permutarentur, vtrimeque tum a viris illis, tum a coetibus christianis, cautum fuit ac prouisum. Viri diuini signum sibi proprium scriptis suis subiunxerunt, d) ministrorum fidissimorum opera in eis mittendis vsi sunt, & plerumque signa complurium, eidem doctrinae addi-

a) Iustinus Martyr in *Dialogo cum Tryphonie Iudeo* p. 289. ed. Colon. 1686. fol.

b) Athenagorae *Legatio pro Christianis*, p. II.

c) Strom. L. VI. p. 678. ed. Colon. 1688. fol.

d) Cel. Christoph. Matthias Pfaffius in *Syntagma Diff. Theolog.* p. 21.

addictorum, vel in fronte vel in fine, vel vtrōbique, addiderunt. Apocalypsin suam Iohannes conclusit ac obsignauit quadam adiurationis formula, ne quis fata, ecclesiae christianaē imminentia, mutaret vel accessionibus fictis peruerteret. Ap. XXII, 18. 19. Exemplum hoc imitatus fuit Irenaeus e), ac ipse Eusebius f), vt iam alios g) omittam. Mos enim ille iam in ecclesia Iudaica dudum ita tulerat, ne quis Iudeorum libris diuinitus impertitis eorumve partibus quicquam h) adfueret vel detraheret, vel in eis transponeret. In eam itaque curam presbyteri christianorum coetuum antiquissimi solicite incubuerunt, vt ipsi non solum auditores docerent atque baptismum aequē ac eucharistiam dispensarent i), sed etiam authenticas Apostolorum litteras in coetibus sacris, ad quos Apostoli eas dederant, k) adseruarent. Ad has perpetuo doctores ciuitatis sacrae primi l) prouocarunt, ad harum testimonia ipsi suos remiserunt. Eundem ipsi honorem scriptis prophetarum V. T. atque Mosis habuerunt m), rati, in dies illa impleri

- e) In extremo libri de Ogdoadē apud Eusebium V, 20. Hieronymus de Scriptoribus ecclesiasticis c. 35. p. 105. Cel. Michaël Lileenthal in Obs. de Exorcismo litterario, quae est prima in eius Selectis historicis & litterarioris, Regiomonte, 1715. 8. editis.
- f) In principio Chronicī.
- g) Io. Alb. Fabricius Observat. sacr. III, 1. & in Bibliothe. graec. V, 1. p. 74. sqq.
- h) Iosephus contra Apionem L. I. §. 6. p. 440. To. II. Opp. edit. Häuercamp. Andr. Georg Waehnerus in Antiq. Ebraeorum Vol. I. Sect. II. c. 1. §. 27.
- i) Ignatius in Epistola ad Trallianos c. 2. Cel. G. L. Oederus ad Catech. Ration. p. 518. sqq.
- k) Tertullianus de Praescript. contra hereticos c. 36. C. M. Pfaffius in Diff. de genuinis librorum N. T. Lectionibus c. 2. p. 28. sqq.
- l) Polycarpus in Ep. ad Philipp. c. 3. Clemens Romanus ad Corinthios ep. I. c. 45. 53. Ignatius ep. ad Philadelph. c. 5. Clemens Alexandrinus Paedagog. I, 12. p. 156.
- m) Theophilus ad Autolycum II, 12. p. 117. 14. p. 121. Ed. I. C. Wolfi Hamburg. 1724. 8. Nicol. le Nourry in Apparatus ad Biblioth. maximam veterum Patrum To. II. Diff. IV. c. 3. p. 491. sqq. Tertullianus de anima c. 28. p. 886. To. II. Opp. Apologet. c. 19. p. 140. T. II. Clemens Alex. Strom. L. VI, p. 639. Iustinus Martyr in Cobortatione ad Gentes p. 14. Tertullianus de Pudicitia c. 6.

pleri ac impleta esse, quae hi praenuntiauerant. Clemens Romanus reliquie faculorum primorum Patres eamdem adflatus spiritusque diuinii auctoritatem libris instrumenti vtriusque adtribuere haud sunt veriti, quippe qui pronuntiata V. T. non minus pro oraculis Dei genuinis reputarunt ac ea, quae codice N. T. comprehenduntur. Fontibus vero nitendum esse potissime, iam docuerunt Hieronymus, Augustinus, & haud pridein purpuratus curiae Romanae Quirinius, ac ipse Lud. Ant. Muratorius, quos Italia veneratur, & orbis eruditus colit obseruanter. Secuti erant Apostoli pro prudentia sua nonnumquam translationem graecam Alexandrinam, Hellenistis probatam, licet eam pro regula fidei & fonte primo haud reputauerint n). Hellenistae vocati sunt, qui illa translatione, quae non satis est graeca, sed Hebraismos, Chaldaismos, Syriaismos, & alias orientis dialectos sapit, in sacris ob imperitiam linguae ebraicae terebant & usurpabant. Insunt ei structurae loquendi nouae, voces alibi insolitae, Graecisque puris minus familiares. An ipsa in Synagogis Iudeorum fuerit publice preelecta, variis disceptationibus fuit disquisitum & intricatum magis quam euolutum. Adfirmat id Richardus Simonius o); negat Iohannes Lightfootus p). Iacobus Vsserius, duas LXX. interpretationes V. T. graecas extitisse, arbitratur q), vnam priorem & puriorem, alteram recentiorem & impuriorem. Vnicam duntaxat extitisse & adhuc extare, contra Vsserium contendit Henricus Valesius r). Conciliari potest vtraque opinio, dummodo negaueris, utramque in Origenis Hexaplis vel Octaplis extitisse. Nam diu ante Ptolemaeum Philadelphum & De-

me-

n) Waehnerus in *Antiq. Ebraeorum* Vol.

I. Sect. I. c. 38. §. 255. p. 154. sqq.

o) In *Historia critica V. T.* III. 17. p.

92. ed. lat.

p) In *Operibus posthumis in Ἀερψάνως*

de LXX. vers. e. I. p. 5. &amp;

q) In *Syntagma de LXX. Interpre-*tum versione Londin. 1655. 4. ac  
in *Epistola ad Ludou. Capellum* a.  
1652. edita.r) In *Epistola ad Iac. Vsserium de ver-*  
*sione LXX. Interpretum* post Ha-  
driani Valesii editionem H. E. Eu-  
febii p. 786. sqq.

metrium Phalereum historia Ebraeorum & vniuersae eorumdem legis declaratio graece s) fuit lecta. *Aristeae ad Philocratem fratrem relatio* de Ptolemaica Alexandrina LXX. translatione graeca solet in fine operum Iosephi legenda exhiberi. At Iosephus t) & Iudaei u) momenta adornatae illius translationis secus exponunt. Iustinus Martyr Aristea fere sequitur, & ad propagatam per manus commemorationem x) prouocat, addens, Iudaeos translationem hanc Alexandrinam y) legere. Videtur quidem Iustinus idem huic translationi maculam mutilationis z) inurere ac depravationis. At ipse leges dialogi fuit secutus, inducens simul Tryphonem, qui illam depravationis & mutilationis notam a) rursus tollit & solide & euidenter. Iustinus idem praecclare b) docet, gratiam Dei efficere eamque precibus imploratam, ut salubrem solidamque diuini codicis sententiam intelligamus & in vitam recte conformandam conuertamus. Eam ob causam in ecclesia olim precibus publice dictis libri vtriusque foederis fuerunt lecti, & ea lectio nemini fuit interdicta, quin potius christianis vniuersis commendata & probata. Iustinus c) de conuentibus seu coitionibus primorum Christianorum sacris ita: *In omnibus, quas offerimus, oblationibus, celebramus conditorem rerum vniuersarum (τὸν ποιητὴν τῶν παντῶν)* per filium eius Iesum Christum & Spiritum Sanctum: & Solis, qui dicitur, die conuentus fit omnium, qui vel in oppidis vel ruri agunt, in eundem locum: & monumenta Apostolorum aut scripta Prophetarum, quoad tempus fert,

C le-

- s) Aristobulus Peripateticus apud Eu-  
sebium de *Praepar. Euang.* XIII, 12.
- t) In *Prooemio ad Antiqu.* Ind. §. 3. p. 2.  
Gotti Cardin. de V. R. C. To. II.  
c. 4. sc̄t. i. p. 75. sqq.
- u) Humfredus Hody *contra historiam  
Aristeae de LXXX. interp.* Oxonii  
1684. 4. & in Libris IV. *de Biblio-  
rum textibus Originalibus* Oxon.  
1705. f.
- x) In *Cohortatione ad Graecos* p. 13. 14.  
& in *Apol. II. pro Christianis* p. 72.
- y) *Apol.* II. p. 72.
- z) In *Dialogo cum Tryphone Iudeo* p. 297.
- a) Pag. 299.
- b) Pag. 346. l. c. p. 326. 327. Irenaeus  
IV, 14.
- c) *Apol.* II. p. 98.

leguntur, τα ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποσόλων ἢ τὰ συγγράμματα τῶν προφητῶν ἀναγνώσκεται, μέχρις ἐγχωρῆι. Deinde, lectore desinente, ὁ προσώπος δόctor, ecclesiae praefectus, habet orationem, qua populum insituit, & ad imitationem rerum tam pulchrarum cōhortatur. Sub haec consurgimus communiter omnes, καὶ ἐνχάριτος πέμπομεν, & preces emittimus, & precibus peractis panis offertur & vinum & aqua (vino adfundenda ob eius generositatem) & Praepositus itidem pro viribus preces & gratiarum actiones fundit: & populus fanfæt acclamat Amen. Tum distributio ac distributio fit eorum, super quae gratiae sunt actæ, cuique praesenti, non solis consecratis ecclesiae ministris. Habes hic, Lector, ecclesiae nostræ liturgiam apostolicam, si omiseris ea, quae ritus ratio temporis que momenta secus olim suaferunt. Non vero tantum christiani primi intra conuentus sacros, sed etiam domi inter conuiua, & alias, verbum Dei, utroque Instrumento comprehensum, legebant. Tertullianus d) luciente: *Post aquam manualem & lumina, ut quisque de scripturis sanctis vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium canere.* Eapropter gloriari idem de vniuersa Christi schola ac multitudine e) poterat: *Quis nunc medullas scripturarum melius nosset, quam ipsa Christi schola?* Continuo primis christianis sacrae litteræ in manibus erant. Tertullianum denuo ad testimonium cito, ita f) praedicantem: *Cogimur ad diuinarum litterarum commemorationem, siquid praesentium temporum qualitas aut praemonere cogit aut recognoscere.* Certe fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum nibilominus inculcationibus densamus. Vnde nam haec? ex utriusque foederis pagina seu scriptis diuinioribus tanquam ex fidei & omnigenae virtutis officina. Christianus enim, iudice g) eodem, *omnia de coelo trahit, & naturam per lauacrum regenerationis, & disciplinam*

per

d) In *Apologet.* c. 39. p. 294. To. II.e) De *Scorpiaco* c. 12. p. 167. To. I.  
Opp.f) In *Apologeticō* c. 39. p. 292. To. II.g) De *Pudicitia* c. I. p. 622. To. I.

per instrumentum praedicationis & censuram per iudicia ex utroque testamento. Quare ipse ad mulierem non christiano nuptam sic h) disserit: *Quae Dei mentio? quae Christi inuocatio? vbi fomenta fidei de scripturarum interlectione? vbi Spiritus refrigerium? vbi diuina benedictio?* His Tertullianii pronuntiatis P. Georgius Ambianus, Minorita Capucinus, Parisiis apud suos Theologus, Tertullianii 1646. fol. Parisiis editor, adeo fuit commotus, vt in testimonium veritatis de ecclesia Pontificia sic iudicaret i) ingemiscens: *Nunc vix etiam in sacris scripturae audiuntur. Vix decurtata unius capituli verba delibantur.* Vtra igitur ecclesia est illa apostolica? illane, quam Tertullianus ob communem & crebram sacri codicis lectionem praedicauit? Libri vel epistolae, quas olim diuini scriptores ad vnam ecclesiam pepigerant miserantque, statim ab hac cum omnibus aliis fuerunt k), communicatae, nequid scripti subtraheretur omnium lectioni. Patuit sacer codex lectioni omnium christianorum vsque ad Gregorium VII. Romanum Pontificem, qui l) linguam vernaculam in legendis pariter priuatim ac in sacris publicis lectionem diuiniorum litterarum Wratislao Bohemorum Duci ei- que subditis denegauit. Innocentius III. ob Waldenses, sacri codicis lectores diligentissimos, vt est in decretal. Gregor. cap. *cum ex iniun-  
cto, de haereticis, ac in decretalibus cap. excommunicamus, de haere-  
ticis, christianos a legenda in gallico sermone sacra scripture reiecit.* Nihilominus posthaec facer codex in varias linguis translatus & omni- um lectioni expositus est. Menardus adhuc anno 1479. commendauit omnibus Christianis bibliorum lectionem. Suffixa est eius ad Iacobum

C 2

de

h) L. II. ad Vxorem c. 6.

i) Ad Scorpacum c. 12. p. 456. To. I.  
Opp.k) Cel. Kieslingi Diff. de *Probabilitate primi-  
tiae Ecclesiae ope litterarum commu-  
nicatoriarum connubio.* Lips. 1745.4. P. Georgius ad Tertullianii Li-  
brum de Scorpaco p. 456. To. I.  
Opp. 1646. Paris. fol.l) Ledesma de *Scripturis quavis lingua  
non legendis* I, 15.

de Ysenaco epistola bibliis latinis, quae Tomis duobus eo anno Norbergae per Antonium Coburger in lucem exierunt. In ea leguntur haec: *Hic est ille diuinitus & pretiosus liber, de quo Lib. Baruch cap. IV: Hic liber mandatorum Dei & lex, quae est in aeternum, omnes, qui tenent eam, peruenient ad vitam.* Idcirco AB OMNIBVS FIDELIBVS sollicito vigilandus est, & integre insistendum ad hanc perutilem & venerandam scripturam & intelligendam & memoriae commendandam. Nam vani sunt omnes homines, in quibus non est scientia Dei, sicut scribitur in libro Sap. c. XIV. Ideo Ios. cap. 1: non recedit volumen legis. Bibliis his in bibliotheca coenobii Riddageshusani est pretium & locus. Tandem concilium Tridentinum christianis, qui non simul sunt Clerici consecrati, lectionem bibliorum paene eripuit. Et cum Paschalius Quesnellius in adnotationibus suis super N. T. gallicum denuo consuetudinem primae ecclesiae restituere ac renouare conaretur, lectionem bibliorum omnibus Christianis commendans; institutum ipsius fuit Clementis XI, Papae Romani, interdicto seu Bulla *Vnigenitus* denuo suppressum & eliminatum. Spectat huc B. Ioannis Francisci Buddei Diff. quam inscripsit *Defensionem doctrinae orthodoxae de omnibus concedenda Scripturae sacrae lectione occasione Bullae Anti-Quesnelliana.* Ea a. 1715. 4. a Ven. Christiano Loebro, Doctoris insignia capeſſituro, Ienae edita ac propugnata fuit. Confirmauit ac renouauit denuo Constitutionem *Vnigenitus* concilio Romano Lateranensi ad annum 1725. habito Benedictus XIII, Pontifex Romanus, Tit. I. c. 2. licet nonnihil de sacris litteris publice legendis & exponendis sanxerit ibidem c. 8. & 9. Id vero inficiandum haud est, adhaesisse Patribus ecclesiae primae variis naeuis exegeticos, ad medullam fidei haud spectantes, quos ipsi vel ex translationis graecae Alexandrinae V. T. in uitamentis & occasione, vel ex philosophiae abusu quodam tacito, vel ex fontium ignoratione vel ex regularum hermeneuticarum vſu hauserant inconsulto.

Non-

Non nihil etiam naeuorum ad versionem Italam seu Latinam primam primordia sui resert. Producemus nonnulla exempla. Alexandrini Graeci per *filios Dei*, Gen. VI, 4. commemoratos, designari putarunt angelos, τοις διγέλασι τοις Θεοῖς. Ex lectione huius loci graeca contigit, vt Patres primi existimarent, angelos, paullo ante diluvium Noachicum amore formosarum in terra mulierum deceptos, coelo deserto per libidinem, cum his exercitam, peccasse. Infedit ea opinio scriptis Irenaei, Athenagorae, Tertulliani, Iustini Martyris, Clementis Alexandrini, Laetantii, Ambrosii, eamque dies extinxit. Eadem ratio ne *vñctio* baptizandis hominibus fuit adiuncta ex naeuo translationis Latinae veteris. In hac enim legebatur Matth. XXVIII, 19: *Ite, baptizate gentes vnguentas eas in nomine Patris & Fili & Spiritus Sancti. Vnguentas* hoc loco sunt *ognuni*, vniuerfi. At imperiti vocem de *vñctione* acceperunt, primo Gnostici m), deinde etiam Christiani n) genuini. Coniecit ita sagacissimus Iosephus Blanchinius in Dissertatione, *Enarrationi Pseudo-Athanasiæ in Symbolum antehac ineditæ praemissa* p. 16. Libellus hic Veronae lucem adspexit a. 1734. 4. Omitto in praefens exempla complura. Ad philosophiae usum vel abusum spectat Patrum opinio de animis hominum per traducem propagatis. Ad abusum philosophiae spectat Tertulliani opinio, qua id, quod re vera existit, vocauit corpus e. g. Deum, angelos, o) animas. Animas sanctorum ante resurrectionem omnium in coelum admitti, negarunt primi Patres, licet eis gaudia in paradiſo percipienda largiti sint, rati beatitudinem consummatam coelo esse reſeruandam, inchoatam paradiſo subter terra deberi. Origo sententiae ex verbis Christi, tenuiter intellectis Luc. XXIII, 43., exſiliit. Paradisum enim in tellure vel sub-

C 3

ter

m) Irenaeus *aduersus Haereses* I, 17.n) Tertullianus *de Baptismo* c. 6. Cyprianus ep. 70. Constit. apost. VI. 16. VII. 22. aliisque.o) Consentit Tatianus in *Or. aduersus*

Graecos p. 151. Corpus est Tertulliano ipsa rei substantia & aliquid, ad uerius *Hermogenem* c. 30. p. 237. To. III. quod non est corpus, id ei est nihil, de *Animâ*, p. 944. To. II.

ter ea esse inueniendam, colligebant Patres primi ex creationis historia, Gen. II. perscripta. Sanctos mille annis post resurrectionem corporum in terra regnaturos esse inter delicias gaudiorum, multi Patrum inde a Papia & Irenaeo ad Apollinarem usque, teste Hieronymo, sibi persuaserant. Origo opinionis referenda est ad locum Ap. XX, 4. 6, praeter mentem Dei expositum. Iustinus Martyr eodem traxisse imaginem Hierosolymae, Ap. XXI. perscriptam, videtur. Aperuit ipse opinionem suam in *Dialogo cum Tryphonie Iudeo* p), addens tamen e continentis: *Multi vero, qui purae piaeque sunt christianorum sententiae, q̄ hoc non agnoscunt.* Vigebat enim de quaestione theologica accessoriis inter christianos primos sentiendi libertas. Et eam ob causam Iustinus paullo post subiecit haec: *Non homines, aut humanas doctrinas, sed Deum & doctrinas eius mihi consecrandas statuo.* Eamdem ob rationem, Tryphonii ibidem Iustinus dicitur εἰσΦαλής ἐν πᾶσι τῷ γελῶν ἀναι τοῖς γεράφαις προσπλευμένος, securitati intentus ubique, ac ideo sacrī litteris applicatus. Legimus isthaec apud Paulum Eph. IV, 6: *Vnus Dominus, una fides, unum baptisma.* Exinde Tertullianus r), Cyprianus, ac Africæ Theologi, Italis reclamantibus, opinionem animis suis informarant, baptismum haereticorum esse inanem & inuidum. Hae opinioes non sacrī litteris, sed studio eas explicandi minus subacto, sunt tribuendae. Eodem referendum est, quod Origenes s) ex Ap. VI, 9. 10. collegit, Martyras defunctorum pro populi supplicare peccatis. Non est, quod exemplis compluribus lectores moneam de indole Patrum rarius hic illic excusanda. Fuerunt ipsi non solum homines, sed ipsi etiam suos auditores ac posteros perpetuo ad sacras litteras adeundas & lexitandas remiserunt, rati eo ipso, eis inesse

p) Pag. 306.

q) Ludouicus Antonius Muratorius in *Tractatu de Paradiſo non expectata corporum resurrectione.*

r) *De Baptismo* c. 15.

s) In Libro *Exhortatio ad Martyrium* p. 299. To. I. Edit. P. de la Rue. Paris. 1733, fol. mai.

esse tot sententias planas & perspicuas, vt nemo non, mentis & gratiae Dei compos, inde ordinem recte de diuinis sentiendi & ad beatitudinem perueniendi addiscere, ac sibi confidare, possit. Utinam essemus eiusmodi christiani, quales erant illi, quos Tertullianus in luce orbis terrarum descriptis suo tempore ac laudauit, in *Apologeticō c. 39.* Si ex illo grege essemus vniuersi, et eadem destinatione legendis litteris diuinis ac sanctitati cum illis t) studeremus, nae quam beneuelle vnum ac alterum naeuum exegeticum vnuſ alteri effet condonatus? Deflexerunt alicubi a via regia Patres primi in accessoriis, quum ipsis charismatum copia nobis essent instructiores. Ne fragilitatem viuum nostrarum obliuiscamur neue Patrum scripta litteris sacris praefaramus, id ipsum nobis documento esse potest. Id vero labores Patrum ecclesiae primae litterarii habent eximii, vt dicta classica plerumque virginantur praeclare, pronuntiata prophetica in eis solide explicantur, licet passim excedatur ultra modum; vt idolatria stirpitus u) eradicetur, vt ea, quae ad sensionem conscientiae & hominem internum x) perficiendum tendunt, viuide inculcentur, vt vitam diuinam omnia spirent, & vt conscientiae quam scientiae potior ratio habeatur. O quanta in iis fidei alacritas sese effert? o quanta in eis vitae diuinae constantia triumphat?

§. VI. Doctrinas diuinitus reuelatas scriptoribus sacris inspiratas Christiani primi interuentu doctorum, qui ecclesiis eas tradiderunt, excepere. Ob hoc tradendi munus doctrinae, ecclesiis semel traditae, appellatae sunt παράδοσις, traditio. Iudas v. 3. meminit fidei san-

t) Athenagorae *Legatio pro Christianis*  
p. 36, sqq.

v) B. Henr. Ludolfi Benthemii *Vorſtelung und Betrachtung der Schriften der alten Kirchenlehrer von der*

*Wahrheit und Göttlichkeit christlicher Religion.* Hamburg. 1727. 8.  
x) Gottfr. Arnoldi *Wahre Abbildung des ewigen Christenthums.* Lips. 1733. 4. ed. 3. Sunt tamen, quae inibi limam & obelum merentur.



*sanc̄is traditae.* Polycarpus eam doctrinam Apostolicam adpellavit a) verbum ab initio ecclesiae traditum. Ignatius b) παράδοσιν τὴν τῶν Ἀποστόλων, traditam ab Apostolis doctrinam, commendauit. Veram & genuinam Apostolorum traditionem exhibuit Irenaeus c). Hippolytus eam vocauit ἀποστολικὴν παράδοσιν d), apostolicam traditionem, propterea quod doctrina Christi ab Apostolis e) hōrumque in ministerio docendi successoribus fuit hinc inde disseminata. Quis sibi perfuaderet, hanc traditionem ab ea doctrina, quae litteris memoriae in N. T. prodita est, discrepare? Discrepauit non re ipsa, non forma interna, non materia, non fundamento. Siquid discrepauit, id ad modulos enuntiandi, ad formam externam, & ad tractandi rationem, est referendum. Solebant interhaec doctores primae ecclesiae formam sanctorum verborum diligentissime sequi, ac doctrinam apostolicam, quoad eius fieri poterat, verbis, Apostolicae scripturae propriis, enuntiare. Quis enim aptior fuit ad res diuinās, easque passim arcanis refertas, enuntiandas, quam ipse Spiritus sanctus, qui scriptoribus vtriusque Instrumenti praestantissimis verba vel suggestis vel consueta moderatus fuit. Doctrinam, diuinitus exhibitam in N. T, Paulus ipse vocauit f) παραδίκην, depositum, παραπαθήναιν, depositum iuxta aliud quoddam depositum, nempe volumina veteris foederis sanctiora, collocandum. Qui depositum haud custodiebant bona fide, ei gratuissime penes Graecos & Romanos g) puniebantur. Hermas h) hanc fidem, hanc doctrinam sanctistraditam, vocauit ab auctore supremo πνεῦμα ἁγίου, spiritum extra errores & libidinem fallendi positum. Si qui ab hac doctrina recedebant,

ab

a) In Ep. ad Philipp. c. 7.

b) Teste Eusebio H. E. III, 36.

c) Adversus Haereses III, 3, 4.

d) In Operibus ab Ioan. Alb. Fabricio editis Hamburgi 1716. fol. p. 245. sqq.

e) Irenaeus III, 25. Augustinus de Ci-

sitate Dei XVIII, 43. Stephanus le Moyne in Notis ad Varia Sacra p. 1062.

f) 1 Tim. I, 18. VI, 20. 2 Tim. II, 13, 14.

g) Gundlingiana P. II, diss. 8. p. 180. sqq.

h) In Pastore L. II, in mandato 3.

ab eis primi christiani tantopere abhorruerunt, vt eos ne quidem reciperen, nec hospitio, amicitiae indicio, dignarentur i). Ignatius Smyrnaeos hortatus est, vt ipsi haereticos non modo non reciperen, sed iis ne quidem, si fieri posset, obuiam se darent. Idem sanctissimus antistes ad Trallianos c. 6. dilucide scribit: *Rogo vos, immo non ego, sed charitas Iesu Christi, vt solo alimento christiano vtamini; ab aliena autem herba recedite, quae est haeresis.* Irenaeus k), haereticos cultoribus simulacrorum peiores esse, adfirmat, &, eos non fugiendos tantum, sed exscrecandos etiam esse, docet. Et tantum fuit Iohannis, Euangelistae & Apostoli, in Cerinthum haeresiarcham odium, vt communi balneo cum eo recusaret vti, veritus l), ne balneum, quod hic ingressus erat, collaberetur. Idem fere dixisse Iohanneum de Ebione, balnei ruina paullo post extincto, auctor est Epiphanius m), quod ille, iudice Theodoreto, dixerat, Cerinthum in balneo animaduertens. Tantus erat primae Ecclesiae erga veram Iesu Christi doctrinam conseruandam ardor! Fallitur proinde Gothesfredus Arnoldus n), qui contrarium tenet, primosque christianos temere in *Indifferentias* conuerit.

§. VII. Quum vero inclinante saeculo secundo Christiani quidam diuinitatem Iesu Christi fastidirent & ea propter communione coetuum christianorum excedere cogerentur, & hi errores ac turbidi planetae ad traditiones confictas, quasi ex Apostolorum ore exceptas, confurerent easque verbo Dei, ex quo erroris conuincebantur, opponent; Christiani primi senes suos successionis primae profiteri iusserrunt compendium a) veritatum ab Apostolis traditarum. Hoc pa-

D

sim

i) 2 Io. v. 11. 10. IV, 3. 11. 19.

k) *Aduersus Haereses* I, 13. p. 34. sqq.  
ed. Basili. 1560. fol.l) Irenaeus I, 3. Eusebius H. E. III, 28.  
p. 123. Theodoretus haeret. fab. II, 3.m) *Haeres. 30. c. 24.*  
n) *In der Kirchen- und Ketzer-Historie*  
p. 60.a) Irenaeus III, 2. Henricus Dodwellus  
*Diss. I. in Irenaeum* §. 27. 28. p. 48.  
fqq.

sim auctum adpellabatur διδαχὴ ἀποσόλων, διδασκαλία τῶν ἀποσόλων, doctrina Apostolorum, cuius pars præctica maximam partem *Constitutio-nibus Apostolicis* est inserta. Theodorus nominatim & Artemon, Socinianorum parentes, temeraria prauitate inducti, iactarunt b), pri-scos quidem magistros omnes & ipsos Apostolos ea, quae ipsi doceant, & a Iesu c) accepisse & docuisse, ac hanc doctrinae euulgatae verita-tem vsque ad Victoris Episcopi Romani aetatem, qui XIIIus a Petro Romae fuerit Episcopus, custoditam esse. Tum vero Tertullianus more Iureconsultorum *praescriptionem* eis recte opposuit, siquidem Christiani eo vsque possessionem apostolicae doctrinae longe optimam tenuerant. Frustra autem eis *praescriptio* opponitur, qui primam & apostolicanam doctrinam a centonibus & purpurissis recens adsutis libera-runt & puritati primae restituerunt. Eusebius Artemonitis solide egregieque primam Christianorum doctrinam opposuit, testimonia quippe Iustini Martyris, Miltiadis, Tatiani, Clementis, ac aliorum quamplurimorum, in quorum omnia libris *diuinitas Christi* adstrui-tur d). Prouocauit Eusebius e) ad continuatam ab Apostolis in do-trina christiana successionem eamque fictionibus nouitorum & haere-ticorum dogmatum opposuit. Successio personarum olim per se se nihili fuit aestimata, nisi ipsa successioni doctrinae apostolicae f) esset iuncta. Christiani autem primi doctrinarum apostolicarum compen-dia, τῶν ἀποσόλων λεγομένας διδαχὰς, nequaquam g) verbo diuino,

in

sqq. III. Iust. Henningi Boehmeri *Diss. IX. de Veteri ecclesiæ statu ge-nerratum* §. 12, inter XII. *Diss.* iuris ecclesiastici antiqui. Iaques Basnage dans l'H. E. IX, 5. Jo. Guil. Iani in *Diss. de Liturgia Ecclesiæ Evange-licæ, Liturgiae Apostolicæ conformi* Vitemb. 1721, 4. Seçt. I. §. 7. p. 10. sqq.

b) Eusebius H.E. V, 28. p. 251. sqq.

- c) Eadem sensit Stanislaus Lubienicus in *Historia Reformationis Polonicae* c. I. p. 2. sqq. Freistad. 1685, 8.
- d) Eusebius V, 28. p. 252.
- e) H. E. III, 25. p. 120. Tertullianus *Apol.* c. 30. p. 425. c. 32. p. 428. Tom. II. Opp.
- f) Ireneus IV, 43. 45.
- g) Eusebius H.E. III, 25. p. 119.

in litteras relato, exaequarunt vel pari dignitate adiunixerunt. Eusebius eas h) inseruit libris νέοις, σπουριis, qui in numero sacrorum librorum haud censemantur. Athanasius in epistola festali διδαχὴν καλεύντων τῶν ἀποσόλων, doctrinam cui nomen Apostolorum, eis accensuit libris, qui non erant in canone, sed legendi tamen tradebantur illis, qui elementa doctrinae christiana addiscere studebant, τοῖς προσεξχόμενοι καὶ βελομένοις κατηχεῖσθαι. Epiphanius saepe institutionis apostolicae meminit ac inde nonnihil decerpit. Fragmenta collegit Ioannes Ernestus Grabe i). Exstant hodieque in codicibus quibusdam manuscriptis Institutiones huiusmodi, tum ad doctrinam, tum ad disciplinam ecclesiasticam, referendae, tam sub nomine Διδαχῆς vel Διδασκαλίας τῶν ἀποσόλων, quam adscriptae modo Clementi, modo Barnabae, modo Hippolyto k), modo aliis, quasi hi eas ex veteri traditione apostolica collegissent. Salutari sane consilio Christiani primi haec theologiae compendia libris canonicos non inseruerunt nec adnumerarunt, rati quippe, ea instinctu Spiritus sancti, quemcunque errorem excludente, in litteras relata haud fuisse, licet utilitas eis insit non profus contemnenda. Habetis hie, Lectores, primorum christianorum de compendiis ac systematibus theologis iudicium, quod & Deo & doctribus ecclesiae est dignum. De cetero meminisse liber, exstare adhuc apud Habessinos didascaliam Apostolorum l). Nec dubito, quin liber hic sit ex iis vnu, qui saeculo II. ac III. vicem compendii theologici,

D 2

ex

- h) Loco laudato, Conf. Vfserius in Diff. de S. Ignatius epibolis c. 7.
- i) In Spicilegio Patrum Saec. I. p. 46.
- k) Io. Alb. Fabricii Bibliotheca graeca V, I. §. 25. n. 7. p. 208.
- l) Confessio fidei Claudi Regis Aethiopiae cum Notis Jo. Heinr. Michaëlis p. 12. Hal. 1702, 4. Didascaliae Arabicae librum Guil. Whistonus An-

glus pro Apostolico habuit. Fefelit se Whistonus, vti ostendit Johannes Ernestus Grabe in libro *An Essai upon two Arabic Manuscripts. Didascaliae fidem destruit illud ementitum ac a Whistono in a. 67. collatum concilium XII. Apostolorum, vt reliqua omittamus.*

ex scriptis Apostolorum concinnati, sustinuerit. Si is in manus Iobi Ludolfi peruenisset, hic copiam eius omnino nobis in historia sua fecisset Aethiopica. Carent e contrario Habessini m) symbolo Apostlico, propterea quod Latini illud magis usui suo adhibuerunt quam Graeci, & quadringenti effluxerunt anni n), antequam id eo habitu, quo nunc incedit, inter Latinos fuit instructum.

§. VIII. Nostrum est, iam de hoc symbolo, quippe publica dum fidei christiana confessione, paucula exponere. Videtur illud enatum esse ex elementis primorum ecclesiae doctorum a) catecheticis. Si id Apostoli condidissent ipsi, omnes christiani ab exordio religionis nostrae illud amplexati fuissent, nec tot varietatibus olim in eo fuisset locus. Cardinalis quidem Julianus Caesarinus Marco Ephesino in concilio Florentino respondit, *symbolum Apostolicum*, quale b) Apostoli tradiderint, Romae in tabulario adseruari tanquam primarium monumentum. At Marcus noluit adserenti fidem habere. Et recte quidem. Nam nec nos credimus, id ibi existare. Ioannis Pearsoni *Expositionem symboli Apostolici* c) nostrates collaudant. Celebrant eidem Hermanni Witsii conatus. Concelebrant Iacobi Vfferii *Diatribam de Romanae Ecclesiae Symbolo apostolico vetere aliisque fidei formulis, tum ab Occidentalibus, tum ab Orientalibus in prima ecclesia proponit solitis*, quae primum Oxonii publicam in lucem emissam, & postea subiuncta est Annalibus V. T. d). Adaequatam in eo deprehendi doctrinae christiana omnis formam, nemo, cui minus dubia est sanitas,

CON-

m) Iobi Ludolfi *Historia Aethiopica* III, 5. 19. & *Commentarius* p. 352. sqq.

n) Kingius in *Historia Symbols Apostolici* p. 23. sqq. ed. Olearii Lipsi. 1706. 8.

a) Ven. Io. Georg. Walchii *Diss. de Apostolorum Institutionibus catecheticis*, in eius *Miscellaneis sacris* p. 3. sqq.

b) Sguropulus in *Hist. Concilii Florentini* Sect. VI. c. 6. Thomas Itigius in *selectis capitibus Hist. Ecc. Sacrae* I. c. 3. Sect. I. §. 12 p. 94. sqq.

c) Francof. ad *Viadrum* 1691. 4.

d) Geneuae 1722. fol.

contendet. Deficiunt inibi multa. Non nihil in utramque partem est explicabile. Quid, quaeſo, ibi de iuſtificatione peccatoris in foro coeli, de peccato innato, de renouatione hominis ad imaginem Dei, de officiis christianis, ac de aliis ſcitu necessariis capitibus legitur? Nonne doctrina de mysterio ſacrosanctae Trinitatis poterat magis perſpicue proponi? Sunt, qui fingunt, hoc ſymbolum, hanc professio-  
nis christianaſ tefſeram, dici ex ritu mysteria celandi e) extero, eam gentibus & catechumenis celatam fuſſe confeſſionem, eam in concilio apostolico eſte f) conſcriptam. Nihil horum firmo ſtar talo. For-  
muſae conſimiles exſtant apud Irenaeum g), in quibus pariter doctri-  
na de ſacramen-  
tis fuit omiſſa. Nequidem muſterium Trinitatis h)  
disciplinae arcani fuit adſtrictum. Apologiae Christianorum, & crue-  
tae ipsorum inter cruciatus confeſſiones, doctri-  
nas ponderis ac muſte-  
rii maxi-  
mi haud ſemper exteros fuſſe celata, plane prorsus ac diluci-  
de ſignificant. Nec tamen infitior, prudentia uſos fuſſe christianos  
primos in alliciendis ac praeparandis candidatorum doctri-  
nae nouitiae  
animis. Ipsi enim poſtulabat prudentia, ut illis, qui ad Christum acce-  
debant, ea priuum dogmata explicarentur, quea ceteris ſimpliciora, fa-  
ciliora, ipſique rationi conſentanea ſunt, antequam ipſi ad ardua religionis  
muſteria, quea modum ingenii humani excedunt, percipienda admit-  
terentur i). Ipſe Paulus orationes ſuas in Lycaonia & Athenis ad  
hunc prudentiae ſcopum attemperauit. Viduae in *Conſtitutionibus*  
*Apoſtolicis* k) iubentur eam ob cauſam caute de rebus diuinis apud  
homines.

e) Kingū *Hiftoria Symboli Apoſtoliſti c. I.*  
ſ. 6. ſqq. p. 8. ſqq.

f) Th. Itig. in ſel. cap. *Hift. eccl. Saec. I. c. 3. ſect. I. ſ. 2. 3. p. 77. ſqq.*

g) *Adverſus haeret. II. 2. p. 66.*

h) Wilh. Ern. Tenzelius in *Exercit. ſl. P. II. p. 42. ſqq.* Tertullianus in *Apologeticō c. 26. p. 421.* Irenaeus I,

3. p. 20. Iuſtinus Martyr *Apol. II.*  
p. 96. 98.

i) Ven. Io. Laur. Mosheimus in *Inſtitu-*  
*tionibus hiftoriae christianaē maiori-*  
*bus Saec. I. P. II. c. 3. ſ. 12. p. 247. ſqq.*

k) III. 5. p. 280. ſqq. Tom. I. *Patrum*  
*Apoſtolicorum* Cotelerii. Tertullia-  
nus ad *Vxorem* II, 5. p. 327. ſqq.

homines profanos differere, missisque grauioribus doctrinis, non nisi de Deo uno verba facere, ne cavillandi faciant audientibus occasio-  
nem. Nemo autem sibi persuadeat, partem dogmatum, scitu ad salu-  
tem sempiternam necessariorum, callide fuisse occultatam, volumina  
diuina fuisse oculis populi christiani subducta, sacrosque ritus, a Chri-  
sto prae scriptos, in adytis mentium, quae reliquos moderabantur, con-  
clusos mansisse, ac, ad paucissimam ciuitatis christianaee partem propa-  
gatos, post aliquot tandem saecula in notitiam omnium peruenisse.  
Schelstrateni l) hoc est inuentum, eo fine excogitatum, ut ipse dogmata  
recens superaddita ritusque nouitios feroque effictos antiquitate apo-  
stolica imbuere vel palliare posset. Symbolum Apostolicum certe huic  
sententiae refragatur, tenuibus ex initis natum atque paullatim variis  
temporibus auctum & amplificatum, quo erroribus nascentibus serpen-  
tibusque aditus ad coetus christianorum publice obstrueretur. Occa-  
siones & rationes accessionum ingeniosis conjecturis extricare conatus  
est Petrus Kingius, Magnae Britanniae Cancellarius, in *Historia Symbo-  
lii Apostolici*, Londini iterum a. 1703. edita, atque a Godefredo Oleario  
ex Anglica lingua in latinam conuersa & publicata Lipsiae a. 1706, 8.  
quam ipse Iosephus Blanchinius m) in publica Italiae luce laudibus  
iustissimis ornauit. Idem Blanchinius eodem in scripto *Enarrationem  
Symboli apostolici* primus ex bibliotheca Mediolanensi euulgauit Veronae,  
eamque Vigilio Afro Episcopo Tapsensi, cui Quesnellius compositio-  
nen ac originem Symboli tribuit Athanasiani, adscripsit. Non dubito,  
quin ea, quae symbolo apostolico comprehenduntur, sint doctrinae  
pri-

I) Ven. Christoph. Matth. Pfaffi *Diss.*  
post *de praeiudicis theologis* §. 13.  
p. 149. sqq. Emanuel a Schelstrate  
in *Comment. ad Antiochen. Concil. de  
disciplina arcani*, Rom. 1685, 4. Zach.  
Grapii *Theolog. recens controv.* p. 114.  
sq. P. I. Rostochi & Parchimi 1719, 4.

m) In *Dissert. ad Enarrationem Symboli  
Pseudo-Athanasiani*, Veronae 1732,  
4. edita p. 28. De ea differui co-  
piosius in *Nouis Erris. Actis* 1738.  
p. 603, sqq.

primorum christianorum testimonia satis luculenta. Nec est, quod refellam Christophorum Sandium, qui n) id symbolum ab Arianis in concilio Nicaeno conditum fuisse contendit. Eum enim & res ipsa refellit & Balthasar Bebelius o) satis depexum dedit. Sin vero monueris, Arianos in magno concilio Ariminensi, a. 359. celebrato, proposuisse symbolum, ac in eo mentionem Christi, ad inferos delati p), fecisse inter primos, qui descensum illum publice in symbolum apostolicum q) receperunt, me non habebis repugnante. Descensus enim Christi ad infera seu inferos Saeculo IV. Symbolum init ac iam olim varie fuit expositus; certe cum sepultura seruatoris confundendus non est.

§. IX. Ex hisce fontibus iudicium de doctrina primorum christianorum omnino est hauriendum. Nec tamen praetermittenda sunt doctorum ecclesiae scripta genuina. Immo ipsa apocrypha, ad veri quippe imaginem delineata, saepius insignem hic adferunt tam lucem quam a) utilitatem. Indicio & exemplo est auctor, qui *T/estamenta XII. Patriarcharum* scripsit, ac saeculo, nisi primo, certe secundo, floruit. Is enim de Trinitate, Christo, & reliquis christiana fidei capitibus, egregie b) differuit. Ipsa haereticorum scripta indicant, qualis fuerit primorum christianorum doctrina, & quanta doctorum primae ecclesiae extiterit fides, in erroribus aliorum recensendis saepius versata. Qui Irenaei, Tertulliani, ac Epiphani, expositiones, ad Va-

len-

- n) In *Nucleo H. E.* p. 167.
- o) In *Antiq. eccl. IV.* p. 879. sqq.
- p) Socrates *H. E. II.*, 37. p. 137.
- q) Ruffinus in *Symbolum* §. 20. p. 570. Kingi *Historia Symboli Apostolicis c.* 4. §. 68. p. 209. sqq.
- a) Isaac de Beausobre dans *L'Histoire critique de Manichee & du Manichisme* To. I. L. II. c. 5. p. 438. sq.
- b) Scriptum legitur apud Io. Alb. Fabricium in *Codice Pseudographo V. Testamenti* p. 501. sqq. Iudicia de eo habes ibidem & penes Th. Ittingum in *sel. cap. H. E. Saec. II. c. I. §. 37. p. 42. sqq.* & Ven. G. L. Oederum in *Adorationibus ad Catechesin Racoviensem* p. 663. sqq.

lentinianorum errorem haud vnum referendas, comparare conabuntur cum scripto Theodoti, nae illi non possunt non arbitrari, Patres illos in commemoratione dogmatum haereticorum fidem sibi haud abrogasse. Vixit Valentini aeuo Theodotus ille, atque librum condidit, cui est inscriptio ἐπιτομὴ τῆς αὐαλεντίνης παλεύμενης διδασκαλίας πατρὸς Ουαλεντίνου χερόνες, epitome orientalis sic dictae doctrinae, qualis haec Valentini temporibus existit. Perspicitur ex ea epitome compages philosophiae Valentinianorum, si vel maxime ea, quae b. Ioannes Albertus Fabricius inde decepta c) dedit, duntaxat consulamus. Ipsi Sibyllarum versus religionem & Iudaicam & Christianam passim illustrant & ex parte iam saeculo primo existiterunt. Nam Pseudo - Iustinus in *Quaestione ad Orthodoxos* d) refert, Clementem in *epistola*, quae nunc dicitur prior, ex scriptis Sibyllae de iudicio extremo egisse. Ultima haec erat pars epistolae, ut patet ex Irenaeo e), sed quae intercidit. Hermas ad Sibyllam f) prouocauit, immo ipse Iosephus, ille Iudeorum historicus g). Successu tamen temporis versus complures hinc inde fuerunt adiecti h), & tandem consarcinatum fuit exinde vniuersum corpus.

§. X. Doctores ecclesiae, qui ad saeculum primum referuntur, & quorum scripta quaedam genuina aetatem tulerunt, sunt Clemens Romanus, cuius duae a) ad *Corinthios epistolae* interpolatae existant, Ignatius Antiochiae Episcopus, & Polycarpus, cuius *epistola ad Philipenses* supereft. Septem Ignatii epistolae breuiores, quas Isaacus Vossius & Iacobus Vfferius ex manuscripto Florentino produxerunt, sunt, si paucas interpolationes, ob honorem ordinis ecclesiastici intrufas, exemeris,

c) In *Bibliotheca graeca* V, 1, p. 134. sq.

d) pag. 436. ed. Colon. 1686, fol.

e) *Adversus Hareses* III, 3.

f) L. I. Vif. 2. c. 4.

g) *Ant. Iud.* I, 4. §. 3. p. 19.

h) Cotelerius P. I. *Bibliotheca Patrum Apostolicorum* p. 181. sqq. edit. Ioannis Clerici.

a) Posteriorem iudicat quoque genuinam Cotelerius l. c. p. 181. sqq.

meris, genuinae. Ioannes Pearsonus, iudice Ioanne Clerico in *Arte critica*, eas sic defendit, ut victoriam reportarit. Nihilominus Cel. Christophorus Augustus Heumannus b), has quoque, negavit, esse genuinas. Rationes eius transcriptis Casimirus Oudinus c). Denuo argumenta sua repetiit auxilium Heumannus d), quae diluere & refellere adgressus est Cel. Georgius Ludouicus Oederus e), Decanus Fuchtwangensis in Principatu Onoldino. Polycarpi Theologiam dogmaticam in unum corpus collegit Iacobus Henricus Balthasar, Theologus Gryphiswaldensis. Titulus opusculo est *Doctrina Polycarpi de praecipuis christianae fidei capitibus*, Ienae 1738. 8. Doctrinas huius Polycarpi ac doctorum ecclesiae saeculi I. & II. reliquorum solide delineauit ac dispexit b. Thomas Ittrigius in *Selectis capitibus historiae eccl. saec. I.* Lips. 1709. editis, & saec. II. ibidem a. 1711. euulgatis. Hi viri praestantissimi nobis otia sic fecerunt, ut necessarium nobis haud sit esse longis. Breuiori opera expedire se ex difficultatibus quibuscumque studuerunt duumiri, Iohannes Tolandus & Christophorus Augustus Salig. Ille enim sibi imperauerat, ut f) crederet, Apostolorum & primorum Patrum scripta esse dolosorum hominum deliramenta. Hic g) existimauit, *mirandum sibi esse, Clementinas & Ignatianas epistolas nonnullas a viris doctis pro genuinis ac incorruptis agnoscere*. At eodem iure ipsis Duumiris hisce scripta, quae pro suis ediderunt, abiudicare licet. Si vterque *epistolam Barnabae* vulgo tribui solitam, pro supposititia repudiat, manus dedissimus. *Hermae liber*, cui *Pastoris* est nomen, ve-

E

tustus

- b) In *Actis Erud. latinis* a. 1710. p. 196. sqq.
- c) In *Commentario de Scriptoribus ecclastis* To. I. p. 89. sqq.
- d) In *Conspicuum respublicae litterariae* p. 410. sqq. Ed. III.

- e) In *Annotationibus ad Catech. Racouensem* p. 692. sqq.
- f) In *Catalogo librorum Christi & Apostolorum ad scriptorum c. 18.* To. I. Opp. p. 392.
- g) In *Libro de Diptychis veterum* c. 3. §. 4. p. 39.

tustus sane h) est, at ex mente, imaginibus inconditis plena, profectus. Tertullianus, iam Montanista, Hermae Pastorem inter falsa & apocrypha retulit i), Hieronymus k) stultitiae condemnauit, Prosper l) contempsit nulliusque auctoritatis esse credidit, Gelasius inter apocrypha reiecit. Irenaeus m) contra laudauit, nomine *scripturae vhus*, illum Pastorem. Nec prorsus immerito. Si enim *visiones* earumque labyrinthos seposueris, doctrinarum Apostolicarum copia in eo passim exsplendescit. Scripta, quae Dionysii Areopagitae nomini sunt supposita, originem sui referunt ad saeculum quartum fere medium. Quam ob rem de eis in praesens tacemus. Saeculum secundum dedit scriptores, dogmaticos ex parte, quorum monumenta nonnulla exstant, Athenagoram philosophum christianum Athenensem, *Iustinum Martyrem*, Neapoli in Samaria natum, cuius *Theologiam moralem* collegit n. Ioannes Andreas Schmidius; *Irenaeum* episcopum Lugdunensem, *Theophilum* Episcopum Antiochensem, *Tatianum* Assyrium, ad auia deinde prolapsum, *Clementem Alexandrinum*, cuius doctrinam & errores exposuerunt Ioannes Tribbechouius n) & Ven. Ioannes Georgius Walchius o); *Tertullianum* Carthaginem, & Athenogenum Martyrem, cuius exstat Hymnus p). Tertium saeculum fertile fuit scriptis Hippolyti, Episcopi, politicine, an ecclesiastici? Id protulit *Origenem Alexandrinum*, de quo Petrus Daniel Huetius bene meritus fuit,

Mi-

- h) Pearsonius in *Vindictis Epistolarum Ignatis* p. 39.
- i) *De pudicitia c. 10.* p. 715. To. I. Opp. Parif. 1646. fol.
- k) *Ad c. I. Habae.*
- l) *Aduersus collatorem c. 30.*
- m) *Adu. Haeres. IV.* 37. p. 240. Clemens Alex. L. I. Strom p. 356. Origenes censuit diuinitus inspiratum, *Explanat. in ep. ad Rom. X.* In ecclesia fuisse lectum, sed internon

canonica numeratum, docet Eusebius H. E. III, 3. 25.

- n) *De Vita & Scriptis Clementis Alexandrinis* 1704. 4. Hal. &c.
- o) In *Diss. de Clemente Alexandrino eiusque erroribus* Jen. 1737. 4. inserta Miscellaneis eius sacris p. 510. sq.
- p) In *Horologio Graecorum*. Stephanus le Moyne in *Notis ad varia sacra p. 1094. sqq.*

Minucium Felicem, ordini ICtorum exemum q) & restitutum r), Caelium Cyprianum, cui ad transubstantiationis dogma stabiliendum sermo de Coena Domini est suppositus; ac Arnobium Afrum. De his ipsorumque scriptis exposuerunt Eusebius ex parte, Hieronymus in *catalogo de scriptoribus ecclesiasticis*, Centuriatores Magdeburgici, Guilielmus Caue in *Historia scriptorum ecclesiasticorum litteraria*, Bellarminus, Baronius, Pagi, Du Pin, Tillemontius, Spanheimius, Casimirus Oudinus, le Nourry, Claudius Fleury, Remy Ceillier, Gottl. Stolle, Petrus Bayle, Io. Rosweydis, Sam. Basnage, Ioannes Clericus, Goth. Arnoldus, Natalis Alexander, Henr. Lud. Benthem, Io. Ge. Pertsch, Ioannes Albertus Fabricius in *Bibliotheca vtraque*, & alii complures. Ex monumentis Patrum illorum litterariis haurire solemus notitiam de doctrina primorum christianorum, licet haud inuiti largiamur, singulares nonnullas Patrum opiniones omni ecclesiae vitio haud esse vertendas. Doctrinam duorum primorum a Christo nato saeculorum n. Thomas Ittigius in *Selectis Capitibus egregie & operose edisseruit*. Dolendum est profecto, virum, historiae ecclesiasticae peritisimum, eumque controversiis Terministicis implicatum, stadium suum historicum haud confecisse. Conferre interhaec iuuat n. Ioannis Francisci Buddei *Isagogen historico-theologican* II, 1. §. 4. p. 342. sqq.

§. XI. Qui de doctrina christiana genuina commentantur, solent ad consensum primae ecclesiae confugere. Id tamen Pontificii & Protestantes uno ore docent, præfæ Ecclesiae Patres in accessoriis nonnquam a) errasse. Inter Pontificios sic tradiderunt Alfonius a Castro, Iohannes Fischerus Episcopus Roffensis, Erasmus, Ambrofius

E 2

Ca-

q) C. A. Heumann *Observatio* in To. I. L. I. Parergorum Gotting. p. 208. sqq.

r) In *Nouis Eruditorum Actis* a. 1738. p. 210. sqq.

a) Petrus Daniel Huerius in *Origenianus* L. II. Quæst. 7. §. 12. P. Georgius Ambianus in *Vindictis Tertullianis* c. 2. Seçt. 5. p. 31. To. I. Opp. Tertulliani Parisi. 1646. fol.

Catharinus, Melchior Canus, Sixtus Senensis, Claudius Espenaeus, Villauincentius, Gregorius de Valentia, Baronius in Annalibus ad a. 34. n. 213. a. 369. n. 24. Bellarminus, Maldonatus, aliquie. Testimonia eorum dedit ad verbum exscripta, b) Ioannes Gerhardus b), Euangelicae Ecclesiae columna. Reformati naeuos & deliquia Patrum candide solent indicare. Iohannis Dallaei, Andreea Riueti, ac aliorum c) scripta a nemine facile ignorantur. Cur Theologos nostrates, qui eamdem incudem tutuderunt, nominatim producam, rationes non video. Id vero hinc efficitur cogiteturque, doctrinam Christianorum ad sacras litteras velut ad lapidem Lydium & solem meridianum d) esse examinandam & dispiciendam, nec villam praeterea prouocationem ultimam olim in ecclesia viguisse, excepto quod e) ad antiquitatem caerimoniarum comprobandam fuerit traditionis ratio habita.

§. XII. Qui Patres primos legunt, plerumque suas, animoque iam antea insitas, opiniones ad lectionem ipsam adferunt, ac eapropter saepius sibi aliisque male consulunt. Sociniani in historia primorum saeculorum ecclesiastica suos inuenisse volunt errores, Ariani rursum suos. Ut exemplis res reddatur clarior, designare iuuat Stanislaus Lubieniecius Socinianum a) & Christophorus Sandium b) Arianum, qui, primam ecclesiam virginem a suis partibus stetisse, existimarent. Vtriusque insultibus solide egregieque sece opposuit Samuel Gardinerus, SS. Theologiae Professor Anglus & regiae Maiestatis a sacrâ, cuius nomen ac merita posteritas nulla neglet, obliuio nulla delebit.

Ex-

- b) In *Confessione catholica* L. I. Part. 2. c. 13. p. 201. sqq. edit. Francof. & Lipsi. 1679. fol.
- c) Ioannes Franc. Buddeus in *Isagoge* II. 3. §. 9. p. 575. sqq.
- d) Iustinus Martyr in *dialogo cum Tryphonе Iudeo* p. 277. Clemens Alexandr. *Strom.* L. VI. p. 676. Ter-
- tullianus *Apologet.* c. 20. Irenaeus II. 47. IV. 43.
- e) Tertullianus *de Corona militis* c. 3. p. 476. sqq.
- a) In *Historia Reformationis Polonicae* c. I. p. 2. sqq.
- b) In *Nucleo historiae ecclesiasticae* p. 67. edit. secund.

Exstat huius viri praeclarissimi Ἰωάννου Σανδίου sive Catholicæ circa SS. Trinitatem fidei delineatio ex scriptis Patrum Ante-Nicaenorum desumpta & annexa Responso breuis ad ea, quae Christophorus Sandius in Nucleo suo Historiae Ecclesiasticae ex iisdem Patribus in Arianorum gratiam opposuit, Londini 1677. 8. in publicam lucem emissâ & D. Ioanni Baroni de Staueley consecrata. Luculenta, & ea copiosa, praesto sunt Patrum primorum pronuntiata, quibus diuinitas Christi c) extra omnem controverson collocatur, & mysterium SS. Trinitatis intrepidam inter professionem ab eis expositum legitur. Ex hisce loca obscuriora vel breuiora, minusque caute proposita, sunt interpretanda. Nam, Hieronymo d) teste, antequam in Alexandria quasi daemonium meridianum Arius nasceretur, scriptores ecclesiastici innocenter quaedam & minus caute locuti sunt, & quae non possunt peruersorum calumniam declinare. Eadem ratione ante mota certamina Pelagiana e) Patres securius loquebantur. Optime Sandius f). Cum Scriptura non sit propriae priuataeque interpretationis, oporret eam interpretari unanimi consensu doctorum primitiuae ecclesiae. Vtinam Sandius hunc tramitem vbiique institisset! Pontifici in Patribus primis dogmata sua nouitia & ritus recens inuenientes querere solent. Eo fine Baronius Annales suos conscripsit, optans, Patres ea pronuntiassem, quibus ipsi vel contrarium tenent vel ob silentia non succurrunt. Idem sentiendum esse videtur de *Synopsi Theologiae veterum Patrum*, ad mentem Ven. Iosephi Cardinalis Thomasi, e Presbyteris Theatinis Panormitanis elaborata, quae, sic titulus resert, *Tractatus saniiores Scholasticos, fidei dogmata, sacramque historiam criticam complectitur*. Exarabat Iacobus Maria Grauina, eiusdem Congregationis.

E 3

ga-

- c) Io. Frid. Wucherer in *Comm. de Patribus Ante-Nicaenis Arianismo non saueribus*, Frid. Andr. Hallbaueri *Comm. de Novitate doctrinae mysteriorum fides de Trinitate frustra obtutis &c.*
- d) In *Apologia II. aduersus Russinum coll. 100. B. edit. Basili 1516. fol. T. III.*
- e) *Augustinus contra Julianum I. 2.*
- f) In *Nucleo H. E. L. I. p. 228. ed. prim.*



gationis & patriae, S. Officii regni Siciliae Consultor & Qualificator, e-debatque partem primam Panormi 1732. fol. Dixi de ea compendiose in Nouis Actis Erud. a. 1735. p. 534. sqq. Euulgauerat Iosephus Maria Thomasius Romae 1701. *Indiculum Institutionum theologicarum veterum Patrum.* Hic recusus fuit Panormi in Sicilia 1723. & tandem a. 1732. sub indice Synopseos. Multum inerat candoris huic Thomasio, multum eruditonis. Erat vero curiae Romanae purpuratus. Et quis, obsecro, priua Romanae Ecclesiae dogmata in Patribus primis inueniet? Emanuel Schelstratenus, de prospero huius destinationis successu desperans, primae ecclesiae adfixxit *disciplinam arcani*, ne videretur ea isthaec tacuisse, quae nunquam litteris fuerunt consignata. Reformati ad consensum primae ecclesiae prouocarunt itidem in controvuersia eucharistica. Notus est ipsorum *Consensus orthodoxus s. coenae & veteris Ecclesiae de sententia verborum Coenae Domini.* Est in manibus editio, quae Tiguri 1605. fol. prodiit. Praecessit eam alia. Nam *Wurtenbergensem refutatio consensus orthodoxi* exiit iam in lucem Tubingae 1593. fol. Eadem ratione ei, qui, ministerium ecclesiasticum a Christi & Apostolorum ordinatione respectu originis arcesendum esse negant, loculos primae ecclesiae pulsant, ut discrimen, doctores inter & laicos intercedens, iugulent & tollant. Nemo ignorat consilium Consiliarii intimi Ill. Iusti Henningi Boehmeri, in XII. *Dissertationibus iuris ecclesiastici antiqui ad Plinium secundum & Tertullianum expositum.* Nemo nescit, quid in aduersam partem monuerit passim Ven. Ioannes Laurentius Mosheimus in *Institutionibus historiae christianaee maioribus ad saeculum primum*, Helmstadii 1739. 4. editis. Erant autem primis doctribus faculae suaue maculae. Faculas in rebus moralibus enumerauit Ceillierus, maculas Barbeyracius, uterque plus iusto destinationem suam vrgens. Maculas dogmaticas plus iusto amplificarunt Magdeburgi Centuriatores.

S. XIII.

§. XLI. *Vnum Deum* a) coluerunt Christiani primi ac multitudinem Deorum solide auersati sunt & re ipsa & scriptis, contra gentes concinnatis. Obrectatoribus paganis ex eo enata fuit occasio, christianos adpellandi atheos, teste Athenagora p. n. Origenes dilucide b): *Vnicum Deum* - - *Patrem & Filium* - - *colimus*. Mysterium sacrosanctae Trinitatis ecclesia prima hymnis, confessionibus, doctrinisque amplexa fuit. Samuele Gardinerum hoc transcribere piget. Iesum esse & verum hominem & verum Deum, intrepida confessione christiani primi c) confirmarunt. Ipsi Christo carmina canebant *quasi Deo*, teste Plinio d). Clarissimus est locus Eusebii e), isque fatis longus. Ignatii testimonia, huc referenda, collegit & vindicavit b. Thomas Ittingius f). Vniuersi Christiani primi docuerunt, Iesum sine patre naturali ex Maria virgine g) natum verumque hominem h) fuisse. Oria nobis hic fecerunt Leo Magnus, Georgius Bullus a. 1705. defunctus, Samuel Gardinerus, & alii. Leo I. Episcopus Romanus, collegit quondam testimonia Patrum de Mysterio Incarnationis Domini, quae inueniuntur in praestantissima Paschafii Quesnelli editione, Parisiis a. 1675, 4. Voll. II. curata, & postea in Indicem expurgatorium i) coniecta. Bulli *Defensio fidei Nicaenae* ex

iii

- a) Tatianus in *Or. contra Graecos* p. 158.  
Theophilus L. I. p. 71.
- b) L. VIII. *contra Celsum* p. 386.
- c) Irenaeus IV, 37. p. 241. Clementis Admonitio ad gentes p. 5.
- d) L. X. ep. 97. Conf. Ioannis Andreae Schmidii *Diss. de Modo propagandi religionem per carmina*. Helmst. 1710, 4.
- e) H. E. V, 28. p. 252. Tertullianus *Apolo-*  
*log. c. 21* p. 150. T. II. Opp.
- f) In *Selectis capitibus H. E. Saec. II. c.* 3. Sect. 2. §. 18 p. 118. sqq.
- g) Symbolum Apostolicum, Ignatius in
- ep. ad Ephesios c. 18. Irenaeus I, 24.  
III, 26. Tertullianus *Apologet. c. 21.* Clemens Alexandrinus *Syrom.* III.  
p. 314. Hippolytus in *Libro de Anti-*  
*christo* §. 4. p. 6. Iustinus in *Dialo-*  
*cum Tryphonie* p. 346. sqq.
- h) Polycarpus in ep. ad Philippi. c. 2. 8.  
9. 12. Ignatius in Ep. ad Smyrnæos  
c. 2. 4. 5. Balthasar l. c. c. 3. §. 8.  
p. 125. sqq. Ittingius l. c. c. 3. Sect. 2.  
§. 19. p. 120. sqq.
- i) Vignoles Maruilles in *Miscellaneis*  
*historico-litterariis* Tom. I. pag. 75.  
sqq.



uit in lucem Oxonii 1685, 4. Eiusdem *Iudicium ecclesiae catholicae trium priorum saeculorum de necessitate credendi, quod Christus sit Deus, contra Simonem Episcopum euulgatum est* Amstelodami 1697, 8. Gardineri *Responsio ad obiectiones Nuclei Sandiani ac responsio valedictoria cum appendice de Cingallo* publicata fuit Londini 1681, 8. Laudamus viros praecellentissimos, D. Abrahamum Calouium, Hermannum Corringium, Melchiorem Zeidlerum, D. Gothefredum Olearium, Urbanum Gothefredum Siberum, Dionysium Petauium, Natalem Alexandrum, Petrum Danielem Huetium, Danielem Whitby, Eduardum Stillingfleet, Iohannem Ernestum Grabe, Stephanum le Moyne, Benedictum Piagetum, aliosque, qui ex professo demonstrarunt, Arianos & Socinianos frustra & improbe ad Patres Ante - Nicaenos, quasi secum facientes, prouocare. Copiosius scripta Illorum recensuit b. Iohannes Albertus Fabricius k), nunquam satis celebratus. Valet hic illa Anastasii Sinaite vox generosa l): *Haereticos & eorum dogmata ή τε θεού φύσις, sententia Dei, sustulit.* Interciderunt adsectatores scabiosae Metaphysicae orientalis, Simoniani, Menandriani, & alia nomina obscura, qui, geminum viuuersale principium propugnantes, Docetas pepererant, qui, omne corpus esse malum rati, veram Christi humitatem & natuitatem m) repudiabant. Marcionem Ponticum, qui somniabat, Iesum e coelo corpus suum detulisse nec reuera in corpore humano paßum esse n), Polycarpus eapropter vocavit o) primogeni-

tum

k) In *Bibliotheca graeca* Vol. VIII. p. 312. sqq.

l) In *Narratione compendiaria de Haeresis & Synodis contra eas coaditis* apud eundem Fabricium l. c. Vol. VII. p. 480.

m) Eusebius H. E. IV, 7. p. 147. sqq. IV, II. p. 155. Irenaeus I, 28 III. 4 Tertullianus in *Libro de Prae-*

*scriptionibus haereticorum, & aduersus Marcionem* III, 8. Feuardentius

ad Irenaeum I, 28. Epiphanius *Haer.* 41. Clemens Alex. *Strom.* VI. p. 684.

n) Irenaeus I, 24. Tertullianus *Liberis V aduersus Marcionem.* Theodoretus I,

24. *Haer. Fab.* Epiphanius *haer. 41.* o) Irenaeus III, 3. p. 140. edit. Basil.

1560. fol.

*rum Satanae.* Cerinthius finxit, fieri haud potuisse, ut Iesus e virginе natus esset, ratus, Iosephum p) ideo patrem Iesu naturalem exstissem, christumque haud esse q) Deum. Vtrumque errorem Euangelistae euerterunt; posteriorem in primis Iohannes interuentu euangelicae suae historiae exterminauit, r) & a genuinis Christianis procul esse iussit. Ebionaei idem haud prorsus senserunt. Alii enim eorum s), Iesum ex virginе & Spiritu sancto natum, negarunt; alii adfirmarunt. Omnium horum errores, qui ad Gnosticos, Valentinianos, Artemonitas, aliasque obscuros homines dimanarunt, refellerunt ac abhorruerunt Christiani primi, quippe qui veritatem apostolicam & miraculis & veris vaticiniis & charismatibus a Spiritu sancto impetratis & constanti confessione & morte pro Christo Deo & homine intrepida, & glorioso martyrio, confirmarunt. Vniuersa haec dona ab eis, qui se ferebant, fuerunt remotissima & omnino aliena. Docuerunt plerique heterodoxorum confessionem doctrinae suae, quae erat depravata & infecta, clanculum esse habendam, persecutionum molestias esse perite euitandas, simulationis ac dissimulationis artifia t) esse adhibenda, artes magicas fanaticasque prophetias esse excolendas. Quo ipso eidem ostenderunt, quantum ipsi a genuina & apostolica Iesu doctrina abessent. Marcion v), Natalis x), aliquie heterodoxi, sub viate finem interuentu poenitentiae errorem suum emendare conati, re

## F

ipsa

p) Irenaeus, I, 25. pag. 48. III, 21. pag.  
184. sqq.

q) Tertullianus de *Praescript.* 48 App.

r) Irenaeus III, ii, p. 153. Eusebius III,  
24. p. 117. Hieronymus in *Catalogo  
Scriptorum ecclesiasticorum c.* 9. p. 54.  
sqq. in Io. Alb. Fabricii Bibliotheca  
ecclesiastica Hamb. 1718. fol. Ven.  
Georg. Lud. Oederi *Liber unus de  
Scopo euangelii S. Iohannis Apostoli*  
Frfr. & Lips. 1732, 8. Ill. Ioan. Georg.

Pertschii *Kirchen - Historie Saec. I.*  
p. 187.

s) Eusebius H. E. III, 27. p. 121.

t) Ven. Io. Georgi Walchi *Diss. de Hypo-  
porisi veterum Haereticorum* p. 621.  
sqq. in *Miscellaneis eius sacris.* Eu-  
sebius IV, 23, p. 185.

v) Tertullianus de *Praescript.* c. 30. p.  
425.

x) Eusebius H. E. V, 28. p. 253.

ipsa declararunt, quantulæ & quam exiguae fuerint vires in erroribus, Iesu oppositis, ad tranquille viuendum & ad beatæ moriendum. Stat igitur sententia, primos christianos in eo fuisse adsiduos & totos, ut Christum unum, verum Deum verumque hominem in una persona, confiterentur, agnoscerent, venerarentur, adorarent, summaque cole-rent pietate y), mortemque perpeti, quam ei maledicere, malent. Conferatur Irenaeus L. V. p. 313. edit. Froben. 1560. fol. ac Iustinus Martyr in *Dialogo cum Tryphone Iudeo* p. 357. edit. Colon. 1686. f.

§. XIV. Docebant Christiani primi, Iesum λόγον διδίον a) verbum aeternum, verbum visceribus Patris insitum ac ante haec vniuersa ab hoc cum sua sapientia genitum b), verbum Patris sanctum, quod in principio erat c) per quem omnia sunt creata d), primogenitum omnis res creatae, cum Spiritu sancto ac in primis Patre, esse Deum trinum, τριάδα d), ac Verbum in carnem venisse, ut mortem in corpore humano pro hominibus toleraret ac eos satisfactione sua vicaria seruaret a pernicie sempiterna. In Epistola Smyrnensis Ecclesiae Christus dicitur e) passus ὑπὲρ τῶν τῆς παντὸς τῶν σωζομένων σωτηρίας, pro salute eorum, qui in omni mundo sunt salui. Ruffinus, latinus Eusebii interpres, verba Smyrnensis Ecclesiae ita reddidit: *Neque Christum aliquando possimus derelinquere, qui mortem pro toius mundi salute sustinuit.* Polycarpus in sua f) ad Philippenses epistola scripsit, Deum esse Christi sanguinem ab iis requisitum, qui in eum non crediderunt.

- y) *Epistola Ecclesiae Smyrnensis de martyrio Polycarpi* apud Eusebium H. E. IV, 15. p. 169. Hippolytus contra Haereticum Nocti p. 241. sqq.
- a) Ignatius in ep. ad Magnesianos c. 8.
- b) Theophilus *ad Autolycum* II, 14. p. 118. ed. Hamb. 1724, 8.
- c) Theophilus idem II, 31. p. 172. sqq.

- d) Theophilus II, 23. p. 148. sqq. Iustinus Martyr in *Expositione fidei*, fortassis ad Sicutum referenda, p. 379. sqq.
- e) c. 17. Eusebius H. E. IV, 15. ibique interpres Ruffinus.
- f) c. 2. Christus enim *omnium* minister factus est, c. 5.

runt. Quae verba luculenter significant, Polycarpum docuisse, sanguinem Christi pro iis etiam effusum esse, qui in illum fiduciam haud ponunt salutis. Iohannes Dallaeus, Reformatorum Theologus eximius, ex verbis Polycarpi hisce aliisque Patrum g) locis ostendit, gratiam Dei & redemtionem Christi esse vniuersalem, in *Apologia pro Synodis Alensonensi & Carentonensi* praefat. p. 8. Idem p. 888. laudat locum Pseudo-Ignatii, qui in *epistola ad Antiochenos* c. 4. tradidit saeculo tertio, hominem Iesum Christum semetipsum dedisse pro mundi vita & salute. Nec dubitari potest, eamdem sententiam fuisse veri Ignatii, quippe qui, Christum *pro nobis* passum & mortuum, tradidit h), non omittens monere, fructum mortis Christi ad eos etiam, qui ante Christi aduentum vixerunt i), pertinuisse. In epistola Barnabae, satis antiqua, legimus c. 7. filium Dei, qui est Dominus iudicaturus viuos & mortuos, passum & mortuum & in crucem suffixum esse, ut liuore eius sanaremur. Interpres ibi latinus antiquus laudat verba Esiae ex c. 35. hunc in modum: *plaga corporis illius omnes sanati sumus.* Vniuersalem Dei gratiam & vniuersale Christi meritum Clemens Romanus agnouit. Scripsit enim c. 7. prioris epistolae, sanguinem Christi propter salutem nostram effusum *toti mundo* poenitentiae gratiam obtulisse Deumque per omnes mundi aetates in omni generatione volentibus ad ipsum converti poenitentiae locum concessisse. Clemens Alexandrinus perspicue & multa cum laude celebrat illud Pauli pronuntiatum, quo Christus adpellatur *σωτήρ*, *Saluator omnium, maxime autem fidelium.* Qui euoluunt Librum sextum Stromatum, ei p. 695. Clementis locum inuenient in editione, Coloniae a. 1688. fol. adornata. Et quid multa? Christiani primi vniuersi idem senserunt. Confer, si libet, Tertullianum de *Pudicitia* c. 2. p. 635. Tom. I. opp.

F 2

Tann.

g) Irenaeus III, 39. p. 198. IV, 45. p. 256.

Irianus ad *Vx.* II, 3. p. 325. *De Habi-*h) In *Ep. ad Smyrn.* c. I.*tu muliebris* c. I. p. 274.i) In *Ep. ad Magnesianos* c. 9. Tertul-

Tantus Saluator non fuisset Iesus, nisi ipse esset Deus, ac pretio redemptio-  
nis infinitum adiunxisset premium per diuinæ naturæ excellentiam. Id  
ipsum momentum adeo fuit cognitum primis Christianis, ut Grego-  
rius Thaumaturgus in *Expositione fiduciæ*, qua doctrinam de Trinitate  
Saeculo III. egregie solideque expressit k), eum vocaret *unum Domi-  
num, solum ex solo, Deum ex Deo, figuram & imaginem θεότητος Dei-  
tatis, sapientiam compagis omnium moderatricem circumplexentem, ac  
vim, quae omnes res creatas efficere potest, filium verum veri Patri, in-  
uisibilem inuisibilis, incorruptibilem incorruptibilis, immortalem immor-  
talis & sempiternum sempiterni.* Thaddaeus Abgaro apud Eusebium  
l) dicitur exposuisse statum Christi, tum se se exinanientis, tum se in  
maiestate extrinsecus ostensa ac demonstrata gloriosum praestantis.  
Ad statum priorem haec memoratur retulisse Thaddaeus σμικρότητα καὶ  
ἐντελεῖαν καὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς Φαινομένης ἐξώθεν ἀνθεώπως demissionem Ie-  
su in humilitatem hominis extrinsecus adparentis. Dicitur Thaddaeus  
edisseruisse, πῶς ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν καὶ απέθανε καὶ ἐσμάργυνεν ἀπὸ τῆς θεότητας,  
quomodo Iesus se humillime gesserit, & obierit mortem & diui-  
nam naturam suam (Deitatem) ostenderit quasi minutum. Quis ita-  
que dubitat vel ambigere valebit, ipsos primos Christianos perpeccio-  
nes & promerita Christi cum diuinæ naturæ, quæ in ipso est, excellen-  
tia coniunxisse. Licet enim de rebus Abgari & Thaddaei, ab Eu-  
sebio perscriptis, nonnulli moueant lites, mihi tamen nondum licet  
sic esse lynceo & perspicaci, ut, eas esse prorsus suppositicias, existi-  
mem. Clemens Alexandrinus admodum magnifice sensit m) de  
Chri-

k) Gregorius Nyssenus in *Laudatione Gregori Thaumaturgi* p. 378. Synodus V, Tom. II. Concil. edit. Binianæ Colon. 1618. p. 774. Nicetas *Thesauri Orthodoxæ fides* I, 32. Rufinus in versione Eusebii VII, 25.

Io. Alb. Fabricius in *Bibliotheca gr.*  
V, 1, §. 28. n. 3. p. 249. sqq.

l) H.E. I, 13. p. 41. De Christi vtraque  
natura solide differunt quoque Ire-  
naeus IV, 37. p. 240. sqq.

m) *Pædagogi* I, 2. p. 79. 80. 81.

Christo, quippe quem vocavit patris imaginem, filium peccati exper-  
tem, omnis reprobationis vacuum, Deum in hominis figura, intaminatum,  
Verbum, Deum qui est in Patre & a dextra Patris, sapientiam, Logon  
patris fabricatum coelos, vniuersae rei creatae prouidentem, corporis ani-  
maeque medicum, qui solus possit n) peccata remittere, eo quod Pa-  
ter ipsum pro peccatis hominum tradiderit manibus maleficorum, ser-  
uatorem hominum nemine exento o) vniuersorum.

§. XV. Quid de descensu Christi ad inferos primi christiani co-  
gitauerint, peculiari tractatione exposuit vir doctissimus Altdorfii haud  
ita pridem multo doctissime. Articulus ille in symbolo apostolico pu-  
blice adparuit demum saeculo quarto exeunte. Ruffinus a) dilucide:  
*In Ecclesiae Römanae Symbolo non habetur additum, descendit ad infer-  
na: Sed neque in orientis ecclesiis habetur hic sermo.* Epiphanius ta-  
men circa idem tempus exposuit symbolum b) ac docuit, diuinæ  
Christi naturæ animam eius sanctam ad inferos fuisse comitem, εἰς τὰ  
ναζαρέων, suaque virtute dolores eius soluisse. Cyrilus Hierosoly-  
mitanus c) aeque tradidit, Christum cruci adfixum & sepultum esse,  
& ad loca subterranea, εἰς τὰ ναζαρέων, descendisse. In locis enim  
subterraneis animas beatorum ad diem usque nouissimum perdurare ac  
vivere, & Pharisaeorum d) & primorum christianorum e) erat sen-  
tentia. Tertullianus in libro de Anima c. 31. plane prorsus: *Habes  
etiam de Paradiso a nobis libellum, quo constituimus, omnem animam  
apud inferos sequestrari in diem Domini.* Addit statim haec maioris

F 3

n) Pag. 116.

o) Strom. L. VII. p. 702.

a) In Symbolum §. 20. p. 570.

b) Adu. Haeres. L. III. in Compendio sc.  
dei Cathol. p. 463.

c) Catech. IV. p. 27.

d) Iosephus Ant. XVIII, 2. Origenes con-  
tra Celsum L. V. p. 26.

e) Irenaeus V, 26. p. 356. Tertullianus  
de Idolol. p. 622. Nouatianus de  
Trin. p. 493. Guili. Caue in Antiqu.  
Patrum & Ecclesiastis in Vita Iu-  
stini M. §. 24.

confirmationis causa: Christus - - quia & homo mortuus secundum scripturas & sepultus secundum easdem, huic quoque legi satisfecit, forma humanae mortis apud inferos fuitus. Quam vero in locis subterraneis Patres quoque angelis malis & animis improbis domicilia adsignauissent, ipsorum opinio sic tulit, vt animam Christi ad inferos omnes venisse ac mentes vtriusque fortis inuisisse, existimarent. Concise ibidem Tertullianus c. 34: Omnes ergo animae penes inferos supplicia iam illic & refrigeria habent - - Anima & panitur & sonetur in inferis interim sub expectatione vtriusque iudicij. Ipse Augustinus idem sensit f). Cur vero Christus ad inferos descendit? Respondeat Origenes g): Ut vinceret eos arque inde piorum atque fidelium animas educeret. Respondet Tertullianus c. 7. p. 740. Tom. II. Opp. Ad quod Christus moriendo descendit? puto ad animas Patriarcharum. Sed quam ob rem? si nihil anima sub terris. Nihil enim, si non corpus. Addit Origenes, animas piorum post Christi ad inferos descensum recta in Paradisum, tendere, nec apud inferos esse amplius exemplo illarum, quas Christus inde in altum eduxerit. Quae sententia in occidentali ecclesia tandem priorem illam Patrum opinionem exterminauit. In orientali autem ecclesia apud plerosque antiquior illa doctrina, de animis omnium apud inferos adseruandis usque ad diem extremi iudicij, adhuc viget h). Nec tamen incessit primos Patres cupiditas praepostera, sibi inuicem ob unam alteramque dissensionem, in doctrinis obscurioribus secesserentem, aegre faciendi vel notam heterodoxiae impingendi. Surrexit etatibus mos hic funestus, ex quo christiani nomen nationum fuerunt facti ac Episcopalis in conscientiam fratrum dominatus cristas erexit. Ex eo accidit, vt ei, qui viderentur Episcopis paululum

f) Enchirid. ad Laur. c. 109.

g) Hom. de Engastrim. p. 32.

h) Andreas Cesarenis comm. in Apost. c. 17. p. 34. Iobus Ludolfus in Hisf.

Actibop. L. III. c. 5. n. 58. &amp; in Commentario ad eam p. 355. Bretewoodus in Scrutinio religionum c. 12. p. 94.

Iulium a tramite dogmatum recens vel olim receptorum deflexisse, poenitentibus exponerentur. Exemplo sunt Theodosius Imperator & Valentinianus, qui Valentinianos omni in Romano solo conuenienti morandique facultate priuarunt i). Exemplo sunt edicta Imperatorum, qui in codice Iustinianeo L. I. tit. 1. & 5. potissimum exhibentur. De cetero primi Christiani adiungebant plerumque voci  $\ddot{\alpha}\delta\eta\gamma$  significatum ampliorem, ac notionem loci subterranei adiiciebant verbo *descensus*, quod saepius de statu morali, non physico, adhibetur, physice accepto. Latinos nonnunquam ad auia seduxit antiqua versio Italica seu Latina, cuius iam sub finem saeculi primi initia extiterunt, & ex qua non modica pars in *Vulgata* k) superstitat. Edidit Iosephus Blanchinius in *Prolegomenis* ad Tomum IV. Anastasi Bibliothecarii huiusque Vitas Pontificum Romanorum *Psalterium cum canticis iuxta Vulgatam antiquam latinam & Italam versionem*, versibus prisco more distinctum l). Augustinus Italam ceteris praetulit m), quam tandem cum gemina S. Eusebii & Hieronymi translatione Iosephus Blanchini Romae n) 1743. fol. euulgauit. Vbi in ebraicis V. T. libris legitur  $\aleph\psi$ , *schoel*, ibi Interpretes Alexandrini  $\ddot{\alpha}\delta\eta\gamma$  seu locum  $\ddot{\alpha}\delta\gamma$  substituerunt. Hos imitati sunt scriptores N. T. diuiniores. Interpres verus Italus ibidem adhibuit voces *inferi* & *infernæ*, quibus vox loci seu loca adiicienda est, ut sensus plene sibi constare videatur. Plerique lectorum crediderunt inde, in subterraneis locis animas beatorum ad Christi usque descensem, nisi ultra id tempus, detentas fuisse, licet eis aduersaretur locus Eccl. III, 18 o). Geruasius Tilberiensis adhuc p) si-  
num

i)

Cod. Theod. tit. de haereticis leg. 65.  
k) Gotti Cardinalis L. de V. R. C. & librorum, quibus iniicitur Tom. II. c. 6. §. 1. p. 125. sqq.l) Sammlung von Alten und Neuen 1736.  
p. 313.m) De *Doctrina christiana* XVIII, 43.n) Gelehrte Leipziger Zeitungen 1743.  
p. 226. sqq.o) Daserus de *Origine & Autoritate*  
*punctorum Ebraeorum* p. 42. sqq.p) In *Otiosis Imperialibus* Decif. I. P. 897.  
Tom. I. Leibn.

num Abrahae de inferno terrestri seu subterraneo exposuit. Eadem opinio Caspari Schwencfeldio q) aliisque r) adserit. Nemo autem sibi persuadeat, velim, doctrinam, quae animas, a Christo e limbo patrum sursum ductas coelisque receptas, descensui eius ad inferos adiicit, a primis christianis viuuersis pro vera & genuina reputatam fuisse. Origene excepto, Patres s) reliqui, animas omnes apud inferos usque ad diem ultimi iudicii adseruari & restare, plerumque docuerunt. Legitur quidem in epistola Pseudo-Ignatii ad Trallianos c. 9. Christum solum ad inferos descendisse & cum multitudine rediisse. Legitur itidem in Thaddaei Apocryphis t), Christum descendisse solum & cum magno populo adscendisse. Verum salua res est. Thaddaei verba spectant ad descensum Christi e coelo, & ad reditionem, eodem instantiam, pertinent. Exposuisse enim traditur Thaddaeus, quantum Iesus a Iudeis perpessus sit & quomodo in crucem actus, & κατέβη εἰς τὸν ἀδενόν descenderit in Hades ac perruperit claustrum intergerinum, ab omni inde aeuo non diruptum (διέχοντες Φεγγυμὸν τὸν ἐξ αἰώνος μὴ γνωθεντα,), resurrexerit, mortuosque, qui multis olim a saeculis sepulti iaceuerant, simul excitauerit & quomodo descenderit solus, adscenderit vero μετὰ πολλῶν ὄχλων πρὸς τὸν πατέρα αὐτῷ cum multo comitatu ad Patrem suum. Nihil hic de multitudine ex inferis reuocata & in coelos educta habetur. Ad reditionem Christi in coelos multus ille comitatus, & insignis illa multitudo, angelorum opinor, tendunt. Eodem spectat ille Pseudo-Ignatii locus. Descensus itaque donotat aduentum Christi in carnem, quando is adscensui in coelos e diametro opponitur. In epistolis Ignatii genuinis nihil eius rei de reditu Christi cum grandi multitudine legitur. Singularis ea est Cle-

q) P. I. ep. 69.

r) Th. Itigi *Diss. de Novis Fanaticorum Purgatoriis* p. 29.

s) Petri Kingi *Historia Symboli Apostoli* c. 4. §. 18. sqq.

t) Apud Eusebium H. E. I. 13. p. 41.

Ruffini verlio: Et mortuos suscitatet. Qui descendit quidem solus, descendit autem cum grandis multitudo ad patrem suum.

Clementis v) Alexandrini sententia, quae dicitur, Apostolos aequac  
ac Iesum τὸν εἰς ἄδειαν, qui in Hade sunt, euangelio imbuisse. Nobis  
in praesens sufficerit, intellectissime, Patres Christo tribuisse in sensu  
cummaxime proprio descensum ad inferos, & credidisse, animas a cor-  
& iam sentire primitias sempiternae vel beatitatis vel perniciei.

§. XVI. Spiritum Sanctum esse diuinam personam seu Deum,  
Christiani primi publice professi sunt, eumque religiose inuocarunt,  
adorarunt, coluerunt. Iustinus Martyr intrepide de singulis suae aeta-  
tis christianis sic a) confessus fuit: *Nos hunc Deum Patrem, & hunc i-  
psum, qui ab eo venit, filium, & Spiritum propheticum, colimus & ado-  
ramus, τεθόμεθα καὶ πεντηκούντην.* Propheticum adpellauit eum, eo  
quod per prophetas V. T. locutus b) fuerat. Negauit ipse Iustinus  
c), filium Dei & Spiritum Sanctum esse res creatas vel earum numero ha-  
bendas. Negauit idem d), filium & Spiritum sanctum esse patre, quan-  
tum ad εξοτίαν potentatum & potestatem adtinet, minores vel inferiores.  
Addit idem: *Nobis in baptismo doctrina potestatisque virtute coniunctim  
vnum Patris & Filii & Spiritus Sancti nomen traditum est. Quaenam  
e) ratio & oratio afferere insitiando poterit, Filium & Spiritum diuinae  
beataeque naturae & essentiae, Θεῖας εἰστιας καὶ μαναῖας, non esse? --  
Patris & Filii & Sancti Spiritus eadem est essentia, τὸ τῆς εἰστιας τάυτον. --  
Huius, non creatar, naturae indicia sunt, esse dominatricem, & omni ne-  
cessitate expertem, facientem ac valentem per potentiam & potestatem,  
quaecunque voluerit. Quid euidentius & magis perspicue dici potest?*

G

Athe-

v) Strom. L. VI. p. 637. Colon. 1688.  
fol. Ita Clemens eis occurrere voluit,  
qui, doctrinam Dei antea ubique ter-  
rarum esse nuntiatam hominibus, ne-  
gabant, siquidem ipse gratiam Dei  
vniuersalem adsestatuunt. Pag. 639.

a) Apol. II. p. 56. Colon. 1686. fol.

b) Ap. II. p. 72. 81. Athenagorae Le-  
gatio pro Christianis p. 10. sqq. ed.  
Colon. 1686. fol.

c) Exposit. fides p. 375. nisi haec sit a  
Iustino Siculo Saec. V. profecta.

d) Pag. 377.

e) Pag. 378.

Athenagoras in *Legatione pro Christianis* p. II. 12. vnum Deum, Patrem Filium, & Spiritum Sanctum, τὴν τὰν τοσέτων ἔνωσιν καὶ διάρεστην ἐγγένεων, unitatem horum & directionem eorum, qui unitate iuncti sunt, praedicauit. Tertullianus pariter Trinitatem veneratus est & in Libro aduersus Praxeam egregie propugnauit, licet personam vocauerit gradum. Accipe eius f) confessionem: *Oeconomiae sacramentum unitatem in Trinitate disponit, tres dirigens, Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Tres autem non statu, sed gradu; nec substantia, sed forma; nec potestate sed specie: unius auctem substantiae (id est, essentiae), & unius status & unius potestatis: quia unus Deus, ex quo & gradus isti & formae & species, in nomine Patris & Fili & Spiritus sancti depuntur.* Per formam videtur designasle habendi modum, & rationem possidendi diuinam naturam; per potestatem vero virtutem agendi. Origenes negauit g), Spiritum Sanctum Filio ratione essentiae, quam φύσιν adpellat, inferiorem vel minorem esse. Polycarpus h) Filium aequem ac Spiritum Sanctum supraem religione & veneratione prosecutus est, mortem iamiam appetiturus. Quae quum ita sint, in confessio apud omnes esse debet, doctrinam nostram christianam eamdem esse ac primae ecclesiae apostolicae & primorum christianorum, siquidem hi Deum trinum eumque vnum i) religiosissime coluerunt, creatorem

ac

f) Aduersus Praxeam c. 2. p. 195. sqq.  
Paris. 1646. fol. Origenes To. II.  
in Iohannem p. 11: *Christus -- illud Verbum, quod cum Patre unitus est Deus.* De Christo exponit id Io. I, 1. 2. 3. p. 54. sqq.  
Et addit. p. 56: *Nos, qui tres personas (τρεις υπόστασες), Patrem, & Filium atque Spiritum Sanctum esse credimus, & ingentium nihil praeter Patrem nobis persuasimus; Spiritum Sanctum & iis omnibus,*

quae a Patre per Christum condita sunt; & ordine iis omnibus (creatis) -- excellentiorem esse, ut ipsum & verum concedimus & approbamus.

g) Comment. in Iohannem p. 57. To. II. ed. Colon. 1685. fol.

h) Eusebius H. E. IV, 15. p. 169. Conf. Irenaei confessio IV, 14. p. 215. I,

II. p. 204. cuiusmodi illa mutatio.

i) Minucius Felix in Octauio. 18. §. 7.

8. Irenaeus I, 19.

ac gubernatorem mundi, qui sapientissime permittit k) mala ac angelorum in peccata lapsorum petulantiam coerget l), iustum sese ubique demonstrat, ac homines tandem mortuos iubet m) resurgere, fidis sui cultoribus vitam aeternam impertit, eisque, qui ad finem vitae mali fuerunt, perniciem tribuit haud intermorituram n). Laudabantur Martyres, non colebantur religiose, donec Constantinus Maximus initia cultui Martyrum subministrabat, cuius in vita id subindicauit Eusebius, IV, 23. p. 63. sqq.

§. XVII. Primitis christianis in laudibus ducitur, quod solum Deum trinum cultu adorationis & inuocationis prosecuti sunt. Inter latram, duliam, & hyperduliam nulla tum a) exstabat distinctio. Usus orationis dominicae ubique b) vigebat. Irenaeus c) & Tertullianus d), immo Cyprianus e), testes locupletissimi sunt huius rei ac instituti facri. Tertullianus dilucide f): *Quod colimus nos, Deus unus est, qui totam mollem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo iussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit, de nibilo expressit in ornamentum maiestatis suae.* Idem g): *Omnia & facta a Deo constat, & ex materia, non constat. -- Nihil inuenio factum, nisi*

G 2

ex

- k) Tertullianus de *Fuga in Persecutione*, c. 2. p. 46. To. I. Opp.
- l) Tertullianus l. c.
- m) Tertulliani Liber de *Resurrectione carnis*, Athenagorae Liber de *Resurrectione mortuorum* p. 40. sqq. ed. Colon. 1686. f. ac *Legatio pro Christianis* p. 38. f. Theophilus ad Autolycum L. I. p. 74. sqq. ed. 1686. fol. Colon.
- n) Irenaeus I. 2. p. 20. III. 35. p. 195. sqq. IV. 46. p. 257. sqq. Iustinius *Apol.* II. p. 82.
- o) Vigilantius ac Juliani Imp. aetate sae-

culo IV. inualuit mos Martyras collendi.

b) Ven. Io. Georgi Walchi *Diss. de Veritate orationis dominicae apud veteres Christianos* in Miscellaneis sacris p. 58.

c) V. 17.

d) De *Oratione* c. 9. p. 512. To. III. Opp.

e) Ep. 89. ad *Hilarium* p. 407. & sub initium libri de *orazione dominica*. p. 99.

f) *Apologeticus* c. 17. p. 128. To. II.

g) In *Libro ad uerbus Hermogenem* c. 33. p. 230. To. III.

ex nihilo, quia quod factum inuenio, non fuisse cognosco. Idem adposito te h): Regula est fidei, ut profiteamur -- unum omnino esse Deum nec aliud praeter mundi conditorem, qui uniuersa de nihilo produxerit. Idem Tertullianus in Orationem Dominicam i) commentatus est copiose, monens \*) in limine, in patre filium simul inuocari. Nullis Christiani primi imaginibus religiosi k) vni sunt. Imaginibus nulla pietas, nullus honor, constitut. Primi, qui imaginibus in conuentibus domesticis locum faciebant, erant Carpocratiani, homines, ab ecclesia catholica & apostolica disiuncti. Hi imagines Christi haud secus ac Aristotelis, Orphei, & aliorum philosophorum in honore habuerunt. Si veterem distinguendi capita apud Irenaeum sequimur, hoc sub finem c. 24. libri primi aduersus haereses legitur l). Videtur tamen ibi non nihil excidisse. Quare recentioribus alia distinguendi ratio m) adstitit. Communicanda sunt verba ipsa cum lectorे: *Gnosticos qui se vocant, etiam imagines, quasdam quidem depictas, quasdam autem & de reliqua materia fabricatas, habent, dicentes, formam Christi factam a Pilato, illo tempore, quo fuit Jesus cum hominibus. Et has coronant, & proponunt eas cum imaginibus mundi philosophorum, videlicet cum imagine Pithagorae & Platonis & Aristotelis & reliquorum, & reliquam obseruationem circa eas similiter, ut gentes, faciunt.* Epiphanius sua hinc n) transcriptit. Adtigit hoc argumentum Augustinus, o) qui imaginem Homeri superaddidit. A Gnosticis morem illum accepit Imperator Seuerus Alexander, quippe qui p) matutinis horis in larario suo (in quo & diuos Principes, sed optimos electos & animas sanctiores, in

h) *De Praescript. haeret. c. 10. p. 405.*

i) *Tom. III. Opp. p. 502. sqq.*

\*) c. 2. p. 504.

k) Inde manauit obiectio exterorum in Christianos apud Minucium Felicem

c. 10. §. 2: *Cur nullas aras habent, tempa nulla, nulla uota simulacra?*

Conf. Tertullianus de *Idolatria*  
c. 3. sqq.

l) *Pag. 48. edit. Froben. 1560.*

m) I, 25. §. 6.

n) *Haeres. XXVII. §. 6.*

o) *De Haeresibus n. 7.*

p) *Lampridius c. 29.*

in quaeſ & Apollonium, &, quantum ſcriptor ſuorum temporum dicit, Christum, Abraham, & Orpheum & huiuscemodi ceteros habebat ac maiorum effigies) rem diuinam faciebat. Nullas ea aetate Catholici habebant Christi imagines q). Statuam ab Haemorrhousa Paneade seu Caſareae Philippi in honorem Iefu positam fuiffe, Eusebius quidem r) eſt auctor. At, eam fuiffe cultu religioſo adfectam a quoquam, haud memorauit. Accedit, quod in exponenda illa ſtata Eusebius ſe ſefellit, quae Hadrianum Caſarem & Iudeam, adiñſtar feminae ad genua eius aduolutae repreſentatam, probabiliter censenda eſt ſpectandum exhibuſſe. Binis Dissertationibus v. Theodorus Hafaeus de ſtata Haemorrhouſae expoſuit, ad plauidentibus Actis Eruditorum latinis a. 1727. mense Sept. p. 426. Exſtat Celeberrimi quondam Hasaei biga Diſſertationum ornatius expolitarum in Diſſertationum ipſius Sylloge p. 345. ſqq. quae 1731. Bremae in forma prodiit oſtaua. Non erat pauperulae illi, vnde ſtatas adornaret, argento, quippe quae vniuersas facultates suas in medicos impenderat. Marc. V. 26. Whitby ad h. l. id ipsum monuit & Guilielmus Reading ad Eusebii Historiam eccleſiaſticam p. 343. idem ſenſit. Eos quos Galerius Maximianus iuſtit Chriſtianos exſtinguere, eccleſiarum reuulsis foribus anno 305. ſimulacrum Dei quaefuerere s). Videtur imago corporis Chriſti, in crucem ſuffixi, designata, ſi Baluzio fides eſt. Copiosius de hoc argumento egit M. Iohannes Reiskius in Exerc. hiſtorico-philologica de Imaginibus Chriſti Iefu, Ienae 1671. 4. euulgata. Columbas christiani olim ſuper altare, baptiſterium, amboinem ſacrum, alibiue in templis collocarunt t), ex

## G 3

varia

q) Cel. Pauli Ernesti Iablonski in Tr. de Origine imaginum vernaculae ſcripto & in Exerc. de Alexandro Se- uero Imp. Romano, Chriſtianorum ſacris per Gnoſticos initiatuſ §. 8. p. 66. Vol. IV. Mifcell. Lips. nou. P. I.

- r) VII, 18. Confer. I. A. Fabricii To. III. Cod. pseudopigr. p. 449. ſqq.
- s) Laſtantius de Mortibus perſecutorum c. 12.
- t) Io. Andr. Schmidii Diſſ. de Columbis in ecclie graeca & latina reſtat. Helmſt. 1711. 4.

varia materia factas. Hic vero ritus iunior est saeculis primis, ac de-  
mum in *Basilii vita*, ab Amphilochio conscripta, u) memoratur. Ad-  
orationem columbae adiunxitse christianos, non legimus ante saeculum  
decimum. Crucis signum saeculo II, iam in catechesibus, baptismo,  
& omni fere conuersatione, fuit adhibitum x). At crucis signo nulla  
virtus fuit adtributa, nullus cultus accessit religiosus. Calumnia in hanc  
repulit Tertullianus y) hunc maxime in modum: *Sed &, qui crucis nos  
religiosos putat, consecraneus erit noster, cum lignum aliquod propitiatur.*  
Auctor ad Nationes L. I. c. 12. eam obrectationem refellit. Mariam  
Deiparam ad finem saeculi XII. christiani omnes z) crediderunt in pec-  
cati infsti labe & conceptam & natam esse. Primorum christianorum  
nemo eam adorauit, licet ipsam quisque magni fecerit & memoriam e-  
ius infestare duxerit inhumanum ac turpe. Tertullianus circa annum  
208. a) dilucide: *Solus Deus sine peccato & solus sine peccato Christus,  
quia & Christus Deus.* Clemens Alexandrinus circa annum 198. sic b)  
scripsit: *Solum verbum est, in quod peccatum non cadit. Est enim pec-  
care natura omnibus innatum & commune.* Origenes haud secus sensit,  
perhibens c): *Solus meus Iesus, mundum ingressus, in matre non pollu-  
tus est.* Angelis sanctis cultum religiosum denegarunt primi christia-  
ni d), (quippe qui ab haereticis profectus e) est,) contenti venerazione  
ciui-

- n) Ex Editione Combefissii.
- x) Tertullianus de *Crona* c. 3. p. 477.  
de *resurrectione* c. 8. *adversus Marcionem* L. III, c. 22.
- y) *Apologet.* c. 16. p. 116. To. II. Opp.  
Conf. Minucius Felix c. 12. §. 5.
- z) Anton. Lampridius de *Superstitione  
viranda* c. 24. p. 181. sqq. Medio-  
lani 1740. 4.
- a) De *Animâ* c. 41. p. 972. To. II.  
Opp.
- b) In *Paedagogo* III, 12. p. 262. Confer.  
*Strom.* L. III. p. 468.
- c) *Homil.* XII. in *Leuiticum*.
- d) Origenes contra *Celum* L. I. p. 10.  
L. V. p. 239. L. VIII. p. 386. Eu-  
febius *Praep. Euang.* VII, 15. p. 325.  
*Demonstr. Euang.* L. III. p. 106.  
sqq. Cel. Iacobus *Ode de Angelis*  
scit. 9. c. 6. §. 1. sqq. p. 957. sqq.
- e) Augustinus de *Haer.* c. 39. Praede-  
stinatus de *Haeresibus* L. I. *Haer.*  
39. apud Sirmondum *Oper. Var.* To.  
I. p. 278.

civili, qua illos prosecuti fuerunt. Simon Magus Angelos a suis coli & placari voluit, testibus Tertulliano f) & Epiphonio g). Ille: *Simoni magiae disciplina, angelis seruiens, utique & ipsa inter idolatrias deputabatur.* Reliquis Martyrum primi christiani nullos adfixerunt honores religiosos. Oblatio autem, defunctis facta, huc non spectat.

§. XVIII. Inesse singulis hominibus post Adami labem peccatum insitum, cui ad mortem usque sit repugnandum, eidem docuerunt. Nonnulla iam Patrum pronuntiata paullo ante adduxi. Complura exhibuit Ven. Ioannes Georgius Walchius in *Diss. de Historia doctrinae de Peccato Originis*, Miscellaneis sacris inserta p. 273. sqq. Luculentum est illud Cypriani pronuntiatum a): *Si etiam grauissimis delictoribus & in Deum multum ante peccantibus, quum possea crediderint, remissio peccatorum datur, & a baptismō atque a gratia nemo prohibetur, quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccauit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit.* Homines nasci carnem a carne, spiritui opposita, docet Clemens Alexandrinus b). Cypriani locus erat luculentus & rei congruens. At dabimus alium e Tertulliano, haud minus clarum, ita c) conformatum: *Omnis anima ex usque in Adam censetur, donec in Christo recensetur: tamdiu immunda, quamdiu recensetur: peccatrix autem, quia immunda, recipiens ignominiam ex carnis societate. Quid poterat clarius pronuntiari?*

§. XIX. Diabolum corruptionis humanae a) auctorem esse, ac homi-

f) *De Praescriptionibus haeres.* c. 33.  
p. 431. Tom. III. Opp.

g) *In Panario haeres.* 21. Sect. 4.

a) *Epist.* 59. p. 99. edit. Baluzii.

b) *Strom.* L. III. p. 468.

c) *In Libro de Anima* c. 40. p. 967. To.

H. Opp. *De Idolatria* c. 5. p. 22.  
Tom. III.

a) *Tertullianus de Fuga* c. 2. *Justinus Apol.* II. p. 68. & in *Dial. cum Tryphonie* p. 33x.

homines nondum renatos subesse eiusdem suggestionibus & imperio, primi docebant Christiani, physicam tamen hominis indolem & partem Deo creatori ac moderatori vindicantes. Tertullianum b) cito ad testimonium, nihil horum omittentem, Africano tamen stilo deletatum. Accipe, obsecro, eius verba : *Malum animae, praeter quod ex obuentu spiritus nequam superstruitur, ex originis vitio antecedit, naturale quodammodo.* Nam naturae corruptio alia natura est, habens suum deum & patrem, ipsum & scilicet corruptionis auctorem (Satanam); ut tamen insit & bonum animae, illud principale, illud diuinum ac ger manum, & proprie naturale. *Quod enim a Deo est, non tam extinguitur, quam obumbratur.* Potest enim obumbrari, quia non est Deus; extinguiri non potest, quia a Deo est. Itaque, sicut lumen aliquo obstatu impeditum manet, sed non comparet, si tanta densitas obstatuli fuerit; ita & bonum in anima, a malo oppressum, pro qualitate eius aut in totum vacat, occultata luce, aut, qua datur, radiat, inuenta libertate. Sic pessimi & optimi quidam, nihilominus unum omnes animae genus. Sic & in pessimis aliquid boni & in optimis nonnihil pessimi. Solus enim Deus sine peccato & solus homo sine peccato Christus, quia & Deus Christus. Sic & diuinitas animae in praefigia erupit, ex bono priore; & conscientia in Dei testimonium prodit. Deus bonus, Deus videt, Deo commendo. Propterea nulla anima sine crimen, quia nulla sine boni semine. Proinde cum ad fidem peruenit reformata per secundam nativitatem ex aqua & superna virtute, detrahe corruptionis pristinæ aule, totam suam lucem conspicit. Excipitur enim a Spiritu sancto, sicut in pristina nativitate a spiritu profano. Sequitur animam nubentem spiritui caro, ut dotale mancipium, & iam non animae famula, sed Spiritus. O beatum connubium, si non admiserit adulterium! Mire displicuit haec christianorum feni-

b) *De Anima* c. 41. p. 972. sq. Conf. Ireneus L. V. p. 295. Iustinus Martyr in *Quæst. & Respons. ad Ortho-*

*doxor* p. 398. Tertullianus de *Anima* c. 14. p. 791. Tom. II. Opp.

sententia cultoribus simulacrorum, quae hos pro mancipiis malorum  
 geniorum reputabat hisque cruciatus sempiternos, nisi per aquam &  
 Spiritum ipsi renascerentur, praenuntiabant. Ex eo videtur factum, ut Romani,  
 qui Christo nomen haud dederant, Christianis tribuerent c)  
 hostile odium aduersus omnes. Inde simul intelligitur, quam necessaria  
 existimauerint Christiani primi eam, quae in baptismo peragitur  
 genuino, regenerationem. Laudat eo fine Tertullianus d) verba  
 Christi, Io. III, 5. prescripta, praedicatque dominicam definitionem, nisi  
 quis nascatur ex aqua & Spiritu, non ibit in regnum Dei, id est, non  
 erit sanctus. Eamdem regenerationis necessitatem agnouit Irenaeus e).  
 Regenerationis rationem ac radicem Irenaeus in redemtione Iesu de-  
 fixit ac hinc salutem hominum duraturam deriuauit. Dabo Irenaci f)  
 verba ipsa: Christus -- quando incarnatus & homo factus, longam  
 hominum expositionem in se ipso recapitulauit, in compendio nobis salutem  
 praestans, ut, quod perdideramus in Adam, id est, secundum imaginem  
 & similitudinem Dei esse, hoc in Christo Iesu reciperemus. Quia enim  
 non erat impossibile, eum hominem, qui semel vicius fuerat & elius, per  
 obedientiam replasmare & obtinere brauium victoriae: iterum autem  
 impossibile erat, ut salutem perciperet, qui sub peccato ceciderat: vtraque  
 operatus est filius, verbum Dei existens, a patre descendens, dispensatio-  
 nem consummans salutis nostrae -- oportuerat enim g) mediatorem  
 Dei & hominum per suam ad utrosque domesticitatem, & amicitiam &  
 concordiam utrisque reducere, & facere, ut Deus assumeret hominem, &  
 homo se dederet Deo. Merita ac redemtionem Christi Irenaeus ceteri-  
 que Christiani primi aestimarunt pretio gemino, respicientes tum ad  
 Christi obedientiam, tum ad eius vicarias perpetiones. Fructum vero

H

huius


c) Ven. I. L. Mosheimius in *Institutionibus hisp. christianaee maioribus saec.*  
 I. P. I. c. 5. §. 8. p. 119.

d) De *Anima* c. 39. p. 960.

e) L. V. p. 295.

f) III, 20. p. 181.

g) p. 184. Confer IV, 37. p. 241.



huius redēptionis in baptismo ac regēnatione offerri, immō adpli-  
cari non repugnantibus, vno ore h) professi sunt. Confer Iustini  
Martyris *Apologiam* II. p. 94. & Tertullianum de *Baptismo* c. 5. p. 559.  
Tom. III. Opp. ac de *Pudicitia* c. 6. p. 676. Tom. I.

§. XX. Per haec Iesu promerita primi christiani salutem sibi esse  
partam, ac sese in eorum fructū intromitti per baptismum & fidem,  
pie existimarunt. Iustum fieri hominem per fidem, & electionem ad  
vitam aeternam inniti fidei nostrae, qua certi sumus de gratia Dei a)  
propter promerita Christi, primi christiani tradiderunt & vno ore  
professi sunt. Polycarpus b) docuit, electos consequi vitam aeternam  
per fidem in tempore receptam. Ignatius c) docuit, se iustificari cupe-  
re per Christum, per crucem eius, per eiusdem mortem & resurrectionem  
fidemque, quae per Christum existat. Clemens Alexandrinus d) do-  
cuit, fidem animo instillari per Spiritum sanctum hominique adferre  
id, quod iustificationem adpellamus. En ipsa verba: *Fides simul cum  
baptismo docetur a Spiritu sancto, siquidem Apostolus docuit* (Paulus),  
οὐ μία ναζαρινὴ τῆς οὐρανοπότητος σωτηρία ἡ πίστις, unicam eamdemque  
vniuersalem hominis cuiuscunque salutem esse fidem, Dei vero & iusti &  
hominum amatoris aequalitatem & (νομονομα) communionem esse eam-  
dem erga omnes. - - Lex fuit paedagogus noster ad Christum, ut ex  
fide iustificaremur. Gratia itaque Dei est vniuersalis & ipse omnibus  
fidem offerri curat. Clemens paullo ante laudauerat illud Christi pro-  
muntiatum: *Qui fiduciam collocat in Filium, habet vitam aeternam.*  
Designauit autem Clemens fidem, promissionibus Dei superstructam  
eis-

h) Clemens Alex. *Pædagog.* I, 12. pag. 133. *Admonit. ad gentes* p. 53. *Pæ-  
dagog.* I, 6. p. 92. Tertullianus de  
*Pudicitia* c. 6. p. 676. T. I. Opp.  
Iustinus in *Dialogo cum Tryphonie*  
p. 367.

a) Ignatius in ep. ad *Polycarpum* c. 2. &c.  
b) In ep. ad *Philipp.* c. 5. I  
c) In ep. ad *Philadelphia*, c. 8.  
d) *Pædagog.* I, 6. p. 95. Conf. Irenaeus  
IV, 13. p. 213. 38. p. 246. sqq. 45.  
p. 256. 47. p. 272. 72. p. 283.

eisque inhaerentem. Ipse sic dilucide e): *Vbi fides, ibi promissio; perfectio autem promissionis est requies.* Docuit idem, homines nequam ex operibus iustificari, nec opera, si fidei sumus expertes, quicquam ad salutem mentium valere, vel reddere quemquam Deo gratum iustumque. Accipe denuo verba ipsa f): *Abraham non ex operibus iustificatus est, sed ex fide.* Nihil ergo eis post finem vitae proderit, etiam si nunc recte operentur, nisi fidem habeant. Idem damnat repudiatus fidem carbonariam, & mortuam seu sola notitia capitum fidei circa animae dotes spirituales constantem, ita differens g): *Neque est cognitio sine fide, neque fides sine cognitione.* Libet praeterea loculos Patrum aliorum tentare ob doctrinae grauitatem. Commodum succurrit Irenaeus, qui h) docuit suos ita: *Fides, quae est ad Deum, iustificat hominem.* Alibi: *Sicut i) in filium fidem nostram dirigimus, ita & in patrem dilectionem firmam & immobilem habere debemus.* Alibi k): *Eapropter dominus in ea, quae sunt sub terra, descendit, euangelizans & illis aduentum suum, remissam peccatorum existentem his, qui credunt in eum.* Crediderunt autem in eum omnes, qui sperabant in eum, id est, qui aduentum eius praenuntiauerunt & dispositionibus eius seruierunt, iusti & prophetae & patriarchae, quibus similiter, ut nobis, remisit peccata. Tetigitim iam antea opinionem, quam Irenaeus hic intexit, & quam Patres nonnulli repudiauerunt. Meritis suis pretium nullum posuit Ignatius. En eius l) pronuntiatum prorsus aureum: *Si Deus nos aestimauerit secundum ea, quae facimus, perimus.* Idem requirit m) a christianis fidem, non mortuam sterilem, sed caritatis comitem.

H 2

mitem.

e) Οὐ δὲ πίσις, ἐνταῦθα δὲ ἐπαγγελίας,  
λία, τελειώσις δὲ ἐπαγγελίας,  
δὲ ἀνάπτυσις.

f) Strom. I. p. 288.

g) Strom. V. p. 544.

h) IV, 13. p. 213.

i) IV, 14.

k) IV, 45. p. 255.

l) Ep. ad Magnesianos c. 10.

m) Ep. ad Trallianos c. 8. ad Ephesios c. 9.  
ad Magnesianos c. 4.

mitem. Nec desitterunt Patres n) monere, legem moralem haud esse extinctam, neque christianis a studio virtutum esse vacandum. Liceat autem hoc etiam addere, non superesse scripta doctorum, tribus saeculis prioribus concinnata, quibus doctrina, de iustificatione inscribi solita, ex professo tractetur. Clemens Alexandrinus o) patresque eum p) consecuti, quorum monumenta exstant litteraria, saepius ad alia festinantes de hoc argumento nec luculentissime semper nec vbi que sat circumspecte verba fecerunt. Plures tamen, quam par erat, maculas Clementi exprobavit Dionysius Petauius, quem Galli ipsi Arianismo occultiore tradunt laborasse. In eos enim Dionysius erat inclemensior Patres, qui diuinitatem Christi sempiternam solidius clarusque ceteris professi fuerant. Dedit Iesuitam illum Nicolaus Nourry depexum, ac Clementi Alexandrino pro aequitate sua tulit q) suppetias, laude maxima dignas. De reliquo non omittendum, Patres primos per *liberum arbitrium designasse nonnisi τὸ ἀυτεξόστον* r), non vero vim per se, citra gratiam Dei, sancte agendi vel eam capeſſendi. Recuperari posse gratiam illam ab Apostatis, docuit Tertullianus de *Pudicitia* c. 9.

§. XXI. Sed ad alia iam progredimur. Patere hominibus adiutum ad gratiam Dei ac usum promeritorum Christi per baptismum, docuerunt ac re ipsa comprobarunt christiani primi. Adtigi iam (§. 16.) potiora. Patres primi illa Christi verba, Io. III, 5. memorata, & ad regenerationem ex aqua & Spiritu spectantia, de baptismo exposuerunt a), ac eo ipso, baptismo inesse aditum ad hereditatem vitae aeternae,

- n) Tertullianus *Apologet.* c. 45. de *Pudicitia* c. 6.
- o) Ven. Io. Georg. Walchi *Diss. de Clemente Alexandrino eiusque erroribus* c. 2. Sc̄pt. 2. §. 13.
- p) Martinus Chemnitius in *Loci Theolog.* P. II. p. 224.

- q) In *Adparatu ad Bibliothecam maximam Parrum* Tom. I. p. 953. sqq.
- r) Tertullianus de *Anima* c. 21. p. 831. Iustinus M. *Apol.* II. p. 80.
- a) Conf. Cel. G. L. Oederus in *Annotacionibus ad Catechesin Raconensem*, p. 542. sqq. Iustinus *Martyr Apol.* II. p. 94. Colon. 1686. fol.

nae, ostenderunt. Iustinus Martyr b) baptisma, quod solum lustrare  
 atque mundare potest poenitentiam agentes, vocat aquam vitae. In eo ho-  
 mines per Christum renouabantur, adducti ad locum, vbi aqua erat,  
 qua mersi regenerabantur inuocato Dei triunus nomine c). Ter-  
 meros esse eos, docet Tertullianus d). Idem dilucide e). Ange-  
 lus, Baptismi arbitrus, superuenturo Spiritui sancto vias dirigit ablutione  
 delictorum, quam fides impetrat, obsignata in Patre, Filio, & Spiritu  
 sancto. Nam si in tribus testibus stabit omne verbum, quanto magis,  
 dum habemus per benedictionem eisdem arbitros fidei, quos & sponsores  
 salutis, sufficit ad fiduciam spei nostrae etiam numerus nominum diuino-  
 rum. Baptismus Iohannis a baptismo Apostolico haud f) differebat.  
 Infantes & paruuli aquis lustrati sunt aequae g) ac adulti, licet Tertul-  
 lianus, ad Montanistas dilapsus, contra usum communem alibi h) suau-  
 ferit, ut paruuli adolescerent prius, donec, quo veniant, doceantur.  
 Origenis locus in *Commentario ad Rom. VI.* 5. luculentus est i), in quo  
 haec leguntur: Pro hoc & ecclesia ab apostolis traditionem suscepit, et  
 iam paruulis baptismum dare. Sciebant etiam illi, quibus mysteriorum  
 secreta commissa sunt diuinorum, quia essent in omnibus genuinae sorores  
 peccati, quae per aquam & Spiritum ablui deberent. Idem alibi dis-  
 tinete: Paruuli baptizabantur in remissionem peccatorum. quorum pec-  
 catorum? vel quo tempore peccauerunt? aut quo modo potest uilla laya-  
 cri in paruulis ratio subsistere? nisi iuxta illum sensum, de quo paulo an-  
 te diximus: nullus mundus a sorde; nec si unius diei quidem fuerit vita  
 eius super terram: & quia per baptismi sacramentum nativitatis sordes

H 3

depo-

- b) In *Dialogo cum Tryphonе Iudeо* p. 231.
- c) Iustinus *Apol.* II. p. 93. sqq.
- d) De *coronamilitis* c. 3. p. 477. T. III.
- e) De *Baptismo* c. 6. p. 560.
- f) Tertullianus de *Baptismo* c. 11. p. 267. sqq. Tom. III. Opp.

- g) Cyprianus ep. 59. Irenaeus II, 39.
- h) De *Baptismo* c. 18. p. 579.
- i) *Explanationum in Epist. ad Romanos* p. 427. P. II. L. V. c. 6. Operum Originis latinorum, Basil. 1536. fol. editorum.
- j) Part. II. Opp. lat. hom. in *Lucam* p. 265.

deponuntur, propterea baptizantur & parvuli. Clinici, in carcere detenti, aliique, qui ad flumina & lacus deduci haud poterant, baptizati sunt k) eo more, qui inde ex saeculo XIII. viget. Vrgente necessitate baptizabant laici, licet mulieres voluerit Tertullianus l) ab hisce munis exclusas. De Paedobaptismo solide exposuerunt Ernestus Salomo Cyprianus in *Historia Paedobaptismi* a. 1706. edita, Ioannes Fridericus Mayerus in *Dissertat. de Paedobaptismo apostolicis temporibus coaevo*, a. 1708. euulgata, Cel. Ioannes Franciscus Buddaeus aduersus Antonium van Dalen & in *institut. theol. dogmat.* VII. §. 6. p. 1456. Ven. Ioannes Georgius Walchius m), aliique n). Manus baptizato imponebantur ab episcopo vel presbytero o). Haec actio vocabatur *confirmatio*. Aliam confirmationem primi christiani haud agnouerunt. De ritibus praeterea nihil in praesens commentari libet. Tertullianus praecipuos exposuit *de corona militis* c. 3, p. 477. Tom. III. Opp.

§. XXII. Quid primi christiani de sacra coena senserint, id nunc adiungere operae pretium videtur. Primo quidem vtraque species symboli eucharistici sacrati vniuersis christianis a) fuit praebita, ne Pontificiis quidem b) repugnantibus vel abnuentibus, qui tamen, Gelasio Pontifice Romano inuito c), calicem eucharisticum consecratum laicis in

CON-

- k) Io. Andr. Bosii *Diss. de Clinicis Veteris Ecclesiae* Ien. 1657, 4.
- l) *De Baptismo* c. 19. *De velandis virginibus* c. 9. *de Praescript.* c. 41.
- m) *In Exercitatione de Historia paedobaptismi quatuor prorum saeculorum in Miscellaneis facris* L. III. p. 487. sqq.
- n) Buddaeus in *Isgoge* II. 7. p. 1563. sqq. C. M. Pfaffius *Introdr. in historiam theol. litterar. P. II. L. III.* p. 358. sqq.
- o) Tertullianus de *Baptismo* c. 8. p. 561. Tom. III.
- a) Iustinus Martyr *Apol.* vulgo II. p. 98. Colon. 1686. fol. Tertullianus de *Resurr.* c. 8. Iohannes Dallaeus de *Cultibus relig. Latynorum* V. 7.
- b) *Concilium Constant.* apud Harduinum Tom. VIII. *Conciliorum* col. 381. *Tridentinum* apud eundem Tom. X. col. 120. Ioannes Bona *Liturigorum Opp.* II. 18. p. 365. Ioannes Mabilion *Commentario in Ordinem Romanum* p. 61.
- c) In *Iure canonico* *Diss.* II. de *consecrat.* c. 12.

concilio Constantiensi & Tridentino subduxerunt. Solis christianissimis Galliae Regibus ob ingentia ipsorum merita erga sanctam sedem facta est potestas a Clemente VI. communicandi sub utraque specie d). Saeculo iam tertio infantibus post baptismum eucharistia etiam data fuit e) ob Io. VI, 53, quae illis deneganda fuisset ob 1 Cor. XI, 28. Conferenda hic est Petri Zornii, qui nuper Berolini obiit, *Historia Eucharistiae Infantium*, Berolini a. 1736. 8. in lucem emissa, ac in *Nouis Eruditorum Actis* laudata a. 1742. Iul. p. 425. sqq. nec non in *Actis Eruditorum germanicis* P. 214. art. I. Quaeritur autem merito, an primi Christiani crediderint, corpus & sanguinem Christi in sacra coena percipi, dum accipiunt edentes & bibentes tam panem quam vinum, usibus eucharisticis dicatum? Exhibeo loca & testimonia doctorum, antequam argumenta inde componam, ne lectoribus videar imperaturus. Ignatius f) fratres ad concordiam exhortatus, hanc adhibet argumentationem: Cum una sit caro Domini I. C. & unus calix in unitatem sanguinis ipsius - - Iustinus Martyr in Apologia vulgo secunda seu altera p. 97. sqq. persequitur ordinem, quo Eucharistia in prima ecclesia fuit distributa ac excepta, hunc in modum: Precibus finitis, mutuis nos in uicem osculis salutamus. Deinde ei, qui fratribus praeest, offertur panis & poculum aquae ac vini. Quibus ille acceptis laudem & gloriam rerum uniuersarum Patri per nomen Filii & Spiritus Sancti offert; & eucharistiam seu gratiarum actionem pro eo, quod nos donis suis hisce dignatus sit, prolixe exsequitur. Atque, ubi ille preces & gratiarum actiones absolvit, populus, qui adebat, omnis fausta approbatione acclamat, dicens Amen. Praefidens vero, postquam gratiarum actionem perfecit, & populus uniuersus adprecatione laeta eam comprobauit, qui apud nos vocantur diaconi, distribuunt unicuique praesentium, ut participet eum, in quo gratiae

d) Iesuita Petra sancta in *Notis ad epistolam Molinai ad Balzacum* p. 47. Antwerp. 1634.

e) Irenaeus IV, 34.

f) Ep. ad Philadelph. c. 4. Conf. Tertullianus de *Pudicitia* c. 9. p. 705.

iae actae sunt, panem, vinum & aquam, & ad absentes perferrunt. Porro alimentum hoc apud nos appellatur Eucaristia, quod nulli ali partipare licitum est, nisi veram esse doctrinam nostram, credenti, & lauacro propter remissionem peccatorum & ad generationem ablato, &, ita, ut Christus tradidit, viventi. Non enim, ut communem panem neque communem potum, ista sumimus; sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Iesus Christus seruator noster, & carnem & sanguinem salutis nostrae causa habuit, ad eundem modum etiam, in qua per preces Verbi eius, ab ipso profecti, gratiae sunt actae, alimoniam, unde sanguis & caro nostra per mutationem (*μεταβολήν*) aluntur, incarnati Iesu carnem & sanguinem esse, docti sumus. Nam Apostoli tradiderunt - - eum pane accepto dixisse: - - Hoc est corpus meum; &, poculo similiter accepto, & gratiis actis, dixisse: Hic est sanguis meus: ac solis ipsis ea tradidisse. Vocem *μεταβολήν*, *μεταμόρφωσιν*, *μεταπόντιον*, mutationem, adhibuerunt Iustinus, Cyrus Hierosolymitanus, Gregorius Nyssenus, alii. Nullatenus designatur per eam *transubstantatio*, primis quippe christianis inaudita & insolita. Indicatur mutation accidentalis, qua panis merus & communis vslui consecratur sacro, ac in eo iunctus vnitusque redditur cum corpore Christi, & vinum simul destinatur sanguinis vnitioni seu coniunctioni, siquidem doctores primorum saeculorum de pane vnoque consecrato plerumque haud aliter ac de pane adhuc obuio ac de vino residuo & perdurante\*) locuti sunt. Copiosius haec exposuit Ven. Ioannes Georgius Walchius in *Diss. de Historia Transubstantiationis Pontificiae* §. 4. p. 209. in suis Miscellaneis sacris. Philippi Melanchthonis *Sententiae veterum de Coena Domini* Wittebergae 1530. 8. euulgatae sunt. Elogio praeterea digna est B. Ioannis Francisci Buddei *Dissertatio*, *Ioanni Ernesto Gratio opposita*, qua euincitur, *Clementem Romanum atque Irenaeum non fauere Massae Pontificiae*, Ienae 1705. 4. publicata. Refert Ignatius g), haereticos quo-  
dam

\*) Eusebius *Hist. Eccl.* VI, 43. p. 315.g) *Ep. ad Smyrnæos* c. 7.

dam ab Eucharistia abstinuisse, eo quod, eam esse carnem pro nobis passam, negarent. Repetit id inde Theodoretus h). An vero corpus Christi in coelis adhuc sanguine est praeditum? Augustinus videatur dubitasse. Paulus vero adfirmavit Ebr. IX, 12. 24, 25. Ignatius dilucide i): *Ego eum & post resurrectionem in carne noui & credo esse.* Eadem sententia fedit Irenaeo, cuius doctrinam exhibere iuvat. En eam k): *Qui est a terra panis, percipiens vocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & coelesti.* Et paullo ante: *Quomodo constabit eis, cum panem, in quo gratiae actae sunt, corpus esse domini sui & calicem sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mundi filium dicant?* Ad sensum spiritualem in hac causa prouocauit Hieronymus l), qui tamen nonnisi in vere piis fese prodat. Facite nunc iudicium, Lectores, an primi christiani nobiscum consenserint in doctrina de reali praesentia corporis & sanguinis Christi eucharistica, nec ne? De reliquo ignorabant christiani primi artolatriam m), podolatriam, confessionem n) auricularem. Latriam a Pontificiis o) soli Deo tribuendam censeri, ignorat nemo. Panis primorum christianorum eucharisticus saeculo iam quarto cruce fuit si-

## I

gnatus.

- h) In *Dial.* T. IV. Opp. p. 188. sqq.
- i) Ep. ad *Smyrnenses* c. 3.
- k) IV, 34. p. 238. Conf. L. V. p. 295. sqq.
- l) Fabricii *Bibliotheca graeca* Vol. VIII. p. 381.
- m) Tertullianus de *Idolatria* c. 3. p. 8. sqq To. III.
- n) Io. Dallaeus de *Confessione auriculari* III, 3. 4. Poenitentiae ecclesiasticae ritus ita tulit, ut poenitentes caris Dei ad genicularentur, caligas fratrum detergerent, volutando vestigia eorum lamberent, ac genua detinerent, teste Tertulliano *de poenitentia* c. 9. p. 466. T. III, ac in *Listro de*

- Pudicitia* c. 5. p. 665. T. I. Frustra inde Baronius in *Annalibus ad a. 206.* exculpere conatur osculationem pedum Pontificalium. *Satisfactiones* olim non ad Deum, sed ad Ecclesiam, pertinuerunt, ne haec videatur delicta atrocia adprobare. Consentit Martinus Chemnitius in *Examne concilii Trident.* P. II. p. 398.
- o) Fr. Iosephus Maria Platina in *Prælectionibus theologicis de Angelis & de Daemonibus* Bonon. 1740. 4. Diff. XVI. p. 219. Augustinus *contra Faustum Manichaeum* XX, 21.

gnatus. Temporis successu is figuris pulchrioribus, oculosque delectantibus magis, ornatus est ac passim varie decoratus. Exhibuerunt has figuras Cel. quondam Philippus Iulius Rehtmeierus p), Caspar Caluoer q), Michaël Heineccius r), Franciscus Berlendi s), ex quo rariores earum in *Noua Acta Eruditorum* t) transferenda curauit, P. Nouarinus u), Edmundus Martene x), aliquie. Eucharisticus primorum christianorum calix repreäsentauit y) picturam Christi pastoris, in humeris ouem perditam reportantis. Panem eucharisticum homines pii ac sacram coenam vñibus sacris adhibentes manibus suis prehensum ori z) admouere soliti erant. His epulis diuinis, hoc conuiuio coelesti, christiani, aduerlus Satanam crebrasque hostium insectationes singulis fere diebus a) se se armarunt. Sacrificium proprio dictum in coena sacra exhiberi, primi christiani b) negarunt, quippe qui norant, sacrificia vniuersa iudaica vnico Christi sacrificio eoque non iterando fuisse sublata, sacrificia autem christianorum esse tantummodo spiritualia, poenitentiae nimirum, laudum Dei, ac sui ad voluntatem Christi sanctae conformatio[n]is. Tertullianus c) dictum Malachiae I, ii. ita ex-

po-


- p) In *Diss. de Oblatis Eucharisticis* praefide Ioanne Andre Schmidio habita Helmstadii 1702. 4.
- q) In *Rituali ecclesiastico* To. I. p. 595.
- r) *Abbildung der alten und neuen Griechischen Kirche* P. III. c. 5. p. 318.
- s) *Delle Oblazioni all' Altare*, in Venezia 1733. 4. P. I. §. 8. sqq.
- t) Mensile Iul. 1736. Tab. VI.
- u) De *Agno eucharistico* V, 69. 70. 71. 77.
- x) De *Ritibus* L. I. p. 318. sqq. p. 382. sqq.
- y) Tertullianus de *Pudicitia* c. 6. p. 684. To. I. Opp.
- z) Tertullianus de *Idolatria* c. 7. p. 32. To. III. Opp. Clemens Al. Strom. p. 271.
- a) Tertullianus ad *Vxorem* L. II. c. 8.

- Cyprianus L. I. ep. 2: *Sacerdotes, qui sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo & quotidias præparamus. - - Idoneus esse non potest ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium; & mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit ac accendit. - - Quomodo docemus aut protocanamus eos in confessione nominis, nominis Iesu sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus?*
- b) Iustini in *Dialogo cum Tryphonе* Idaeo p. 345.
- c) Tertullianus *adversus Iudeos* c. 5. p. 348. sqq. To. III. Opp. Clemens Alex. Strom. VII, p. 717. VI, p. 613.

posuit : *De spiritualibus sacrificiis Deus addit, dicens: Et in omni loco sacrificia munda offerentur nomini meo, dicit Dominus.* Hisce sacrificiis spiritualibus inferuit Iustinus Martyr etiam celebrationem sacrae coenae. Sic enim in Dialogo cum Tryphone Iudeo p. 260. locum illum Malachiae exposuit: *De nostris, gentium, quae in omni loco offeruntur, sacrificiis, hoc est, pane eucharistiae & poculo similiiter eucharistiae, iam tum Deus locutus praedixit, nos quidem laudibus celebrare nomen eius, vos vero Iudeos profanare.* Vtraque autem haec species eucharistica a Patribus dicta fuit sacrificium & oblatio, eo quod eam christiani inter alia benignitatis suae documenta in ecclesiam contulerant, quae vsibus sacriscalendis ecclesiae doctoribus, ac solianda fratum penuriae, erant accommodata. Et ob pauperes quidem subleuandos praeterea ipsi arcam eleemosynariam d) solebant adhibere, intra quam colligebantur numi immisii, qui totidem beneficentiae sacrificia referebant. Iustinus Martyr enim perspicue & euidenter ibidem p. 240. fatetur: *Deus sacrificia, de proprie sic dictis differit, a nobis non recipit, neque olim, penuria laborans, haec vobis Iudeis praecepit, sed propter delicia vestra.* Iustinus Martyr adiunxit ea sacri codicis, quibus de sacrificiis spirituilibus agitur, loca, ne dubitemus, de his omnino ipsum expositurum fuisse sacrificii. Ipse christianos ac pios vniuersos appellat Dei sacerdotes & ab his omnibus sacrificia illa, panem & calicem eucharisticum, offerri docet. Eius in Dialogo cum Tryphone Iudeo p. 344. haec sunt verba, in latinum a Pontificio viro erudito conuersa: *Nos per Iesu nomen, velut unus homo vniuersi, in opificem rerum cunctarum credimus, olim impura imbuti vestimenta, id est, peccata; per nomen primogeniti filii ipsius eis exuri, verbo nunc vocationis eius tamquam igne inflammati, vere sacerdotale genus Dei \*) sumus (ἀρχιερᾶτος τὸ ἀληθινὸν ψέυστα τὸ οὐρανόν), prout & Deus ipse testatur, perhibens, Nos quouis loco*

d) Tertullianus in *Apologet.* c. 39. p. 292. To. II. Opp.

\*) Ies LXVI, 21. Apoc. I, 6. 1 Petr. II, 9. Iac. II, 8. Clem. Al. Adam, ad Gentes, p. 75.



in nationibus victimas sibi placitas & mundas offerre. A nemine sane Deus hostias (θυσίας) accipit, nisi a sacerdotibus suis. Vniuersos igitur, qui per nomen istius sacrificia offerunt e), quae Iesus Christus tradidit fieri, hoc est, in eucharistia panis & calicis sacrificia, quae in loco omni a Christianis fiunt, praeuertens (antea diligens) Deus probatos sibi esse testatur. Quae autem a vobis Iudeis & vestris illis sacerdotibus offeruntur, renuendo abiicit, inquiens: Et sacrificia vestra non suscipiam ex manibus vestris. Quoniam ab ortu solis usque ad occasum nomen meum glorificatur in gentibus. Vos autem profanatis illud. Addit: Preces & gratiarum actiones, quae ab apolis dignisque peraguntur, perfecta sunt sola & complacita (εὐάγεσοι) Deo sacrificia. Haec omnino sola etiam Christiani didicerunt peragere, & quidem in recordatione nutrimenti ipsorum aridi iuxta ac liquidi, in qua instituitur mentio per pessonis, quam toleravit δούλως suapte vi ὁ Θεός τῷ Θεῷ ille Deus Dei (filius). Praestiam est causa, cur primi Christiani epulas eucharisticas adpellauerint sacrificia. Notum enim est illud eiusdem Iustini ex Apologia II. p. 60. pronuntiatum: Nos igitur, qui quidem athei dicimur, nec tamen sumus, conditorem huius vniuersi religiose colimus, hanc indigum sanguinis multi vel libaminum & suffimentorum, ut edoceti sumus, tradentes, ipsum ratione precum & gratiarum actionis, quae omnia offerre pro viribus contendimus, laudamus, solum hunc honorem ipso dignum ex institutione aliorum existimantes. Opponit Iustinus sacrificia precum & gratiarum actionis Christiana sacrificiis eorum, qui a religione Christiana erant

e) Legitur in Graeco: Πάντας γνώσθε τὰς δια τῶν οὐρανών τάττε θυσίας, ἀς παρέδωκεν Ἰησος, ὁ χριστὸς γένεθλοι - περιλαβὼν ὁ Θεός μαζί μετέ ενχέσας ὑπάρχειν δυῆς. Facile est intellectu, libri

nauium hic irrepsisse. Omnia sunt falsa, si ita legeris: Πάλιος γνώσθε τὰς δια τῶν οὐρανών τάττε θυσίας -- Confer de loco hoc Iustini III. Institutum Henningum Boehmerum in Historia ecclesiastica antiqui X. §. 3. p. 489. sqq. ed. 3. Hal. 1729. 8.

erant alieni. Irenaeus, postquam docuerat, Deum sacrificia laudis, poenitentiae, & misericordiae expetere, & haec esse foederis noui ac christianorum ornamenta, subdidit & adiecit f) haec: *Iesus, suis discipulis dans consilium primitias deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi nec ingratii sunt, eum, qui ex creatura g)* panis est, accepit, & gratias egit, dicens, *Hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quae est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & noui testamenti nouam docuit oblationem, quam ecclesia ab apostolis accipiens in uniuerso mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis praefat primitias suorum munerum in novo testamento.* Laudat deinde complementum vaticinii, quod Mal. I, ii. habetur. Irenaeus res est cum oblatione primitiarum, oblatione rerum creatarum, oblatione munierum. De oblatione corporis Christi ipse prorsus tacet. Patres trium primorum saeculorum nihil de hac memorant, teste ipso Ill. Scipione Maffeo h). Irenaeum huic oblationi obstat, contendit i) Cel. Christophorus Matthias Pfaffius. Oblatio ab Irenaeo vocatur noua, quia instituto nouo Iesu Christi adhaerebat & habitudine noua gaudere cooperat. Sacrificium & maestatio noua in sacra coena si suscipetur, Christus denio in ea maestaretur & moreretur. Quod ipsum fieri, primi christiani negarunt, qui Christum, semel in vitam regressum, perpetuo viuere docuerunt, licet crediderint k), christianos

## I 3 nos

f) *Aduersus Haereses* IV, 32. p. 235.  
g) *Terrullianus aduersus Judaeos* c. II. p. 371. To. III. Opp. panem Christi corpus suum appellat. Idem in *Libro de Orat.* c. 6. *Corpus Christi in pane censetur Conf. Fundamenta fidei doctrina de vera & substantiali praesentia, exhibitione & sumptione corporis & sanguinis Domini in Coena, repetitae a M. Chemnitio. Irenaei 1570. 8.*

h) *Giornale de letterariis d'Italia* T. XVI. art. IV. p. 226. sqq.

i) In *Fragmentis anedotorum S. Irenaei.* Hag. Com. 1715. 4. & in *Diss. apologetica de Fragmentis Irenaei anedotis deque oblatione & consecratione veterum eucharistica aduersus virum Ill. Scipionem Maffeium.* Tübingae 1718. 4. nec non in *Diss. de Oblatione veterum eucharistica.*

k) *Justinus Martyr in Quar. & Respons. adorthodoxos* p. 417. *Clemens Alex. Paedagog.* II. p. 151.

nos in sacra coena vesici carne dominica, conscientias piorum purgante. Edmundus Albertini, Pontificius, ipsum Cardinalem Perronium fatentem inducit l), Christum sub ratione formaliter mactati & mortui in sacramento eucharistiae non contineri, sed tantum representari, ideoque ibi memoriam & imaginem sacrificii exhiberi, non sacrificium ipsum, proprie dictum. Videtur quidem Clemens Romanus m) eucharistiam appellare sacrificium. At Ill. Ioannes Henningus Boehmerus n), locum Clementinum de sacrificiis Iudeorum & hierarchia Iudaica, non christiana, capiendum & intelligendum esse, solide ostendit. Saeculo autem quarto ac sequentibus Patres, corpus sanguinemque Christi in eucharistia offerri, docuerunt complures. Vtitur ecclesia Romana adhuc Canone Missae Gregoriano. Hic vero, qui etiam egregias preces ex antiquissimis liturgiis maximam partem complectitur, sacrificium Missaticum ac transubstantiationem penitus iugulat, nec, nisi praesentiam corporis sanguinisque Christi eucharisticae, in usu demum sese exserentem, clarissime demonstrat, testibus Iacobo Basnagio o), Iohanne Aymonio, olim Protonotario Apostolico p), aliisque. Praesentiam illi veteres christiani fere iam saeculo II. coniungi putarunt cum precibus & inuocatione Spiritus Sancti. Liturgiae enim vetustissimae indicant, praemissis institutionis eucharisticae verbis demum orari Deum, ut mittat Spiritum suum sanctum ac faciat panem corpus Christi & vinum sanguinem Christi. Consulenda hoc loco est *Liturgiarum Orientalium Collectio*, quam Parisiis hoc saeculo publicata esse, nemo facile ignorat. Adsentitur nobis quoque editor earum Euse-

l) *De Sacramento Eucharistiae* L. II. p. 385. Consentient Petrus Lombardus L. IV. *Sentent.* deſt. 12. *tr. G.* & Thomas Aquinas in *Summa P.* III. *qu. 83. art. 1.*  
m) *Eps. I. §. 40.*

n) In *Dissertationibus iuris ecclesiastici antiqui* p. 58. 308. 327. sqq.  
o) H. E. XVI, II.  
p) *Metamorphoses de la Religion Romaine*, à la Haye 1700. 12. p. 228. sqq.

Eusebius Renaudotius q), sumimus acerrimusque olim doctrinae Romanae defensor. Ambrosii illa r) sunt luculenta: *Nos, quotiescumque sacramenta sumimus, quae per sacrae orationis (έπικλήσεως) mysterium in carnem transfigurantur & sanguinem, mortem Domini annuntiamus.* Obiiciebant simulacrorum cultores christianis primis epulas Thyestas s), inhumanos cibos t), infanticidia, eo quod, christianos vesci corpore ac frui sanguine eius, qui est Deus, per rumores inaudiuerant. Primi christiani templis carebant, rati, totum mundum Dei esse templum ac praecipue hominis mentem u), animasque piorum esse Christi & Spiritus Sancti x) templo. Conueniebant ipsi statu die y) ante lucem. Tertullianus conuentus hosce vocauit *congregationes nocturnas.* Et has quidem extranei christianis vertebant vitio a) ac per probrum obiectabant. Communio eucharistica sub vitroque in templis celebrabatur, quam primum christiani saeculo tertio, imperante Seuero Alexandro, ea, teste b) Lampridio, in publico exstruere coepissent. Eam saeculo nono aequa ac eucharistiam infantum viguisse, testis est Flaccus Alcuinus c). Posteriorem reprehendere noluerunt Patres conscripti Tridentini d), licet, eam esse necessariam, inficiarentur. Imperantibus Aureliano ac Gallieno, christiani primi aedes sacras publicas coeperunt habere e) complures. Maximianus Herculius,

cru-

- q) In *Comment. ad Liturgiam Copticam Basiliis* p. 243.
- r) *De fide IV.* 5.
- s) Christiani Kortholti *Paganus Obiterator.* c. 10. p. 405. sq. Athenagoras in *Legatione* p. 4.
- t) Minucius Felix in *Ostentio* c. 8. §. 4.
- u) Idem c. 31. §. 1. 2. Clemens Alex. *Str. VII.* p. 748.
- x) Iustinus Martyr in *Dial. cum Tryphonе Iudeo* p. 258. Laetantius *Infl. diu. VI.* 25.
- y) Plinius L. X. *ep. 95.* III. Iustus Hen-

- ning. Boehmerus in *Diff. Iuris ecclasiastici antiquis II.* p. 35. sqq.
- z) *Ad Vxorem L. II.* c. 4.
- a) Minucii *Ostentio* c. 8. §. 4. Arnobius *adversus gentiles L. VI.* in princ. Kortholtus l. c. c. 9. p. 378. sqq.
- b) In *Seuero* c. 49. Boehmerus l. c. §. 22. p. 70.
- c) Ep. 16. p. 64. sqq. To. I. *Antiquarum Lect.* Canifii edit. pr.
- d) *Sess. XXI.* c. 4.
- e) Eusebius H. E. VIII, 1. Nicephorus H. E. VII, 2.

crudelissimus homo, ea saeculo ineunte quarto f) dirui iussit. Errauit Pompeius Sarnelli, Episcopus postea Bisegliensis, dum tempa illa existimauit g) fuisse *basilicas*. Constantinus enim Maximus h) est auctor basilicarum christianarum, imitatus magnificas iudiciorum publicorum, contractuum ineundorum ac negotiationum, aedes Romanorum, columnis vtrimeque instructas, cauturus ea conditione, ne a cultoribus simulacrorum formam templorum christianorum desumpsisse videretur. Commutata tamen & versa sunt iam tunc & postmodo tempa ethnica in christiana. Copiose hoc argumentum exsecutus fuit Iohannes Marangoni i), Canonicus ecclesiae cathedralis Anagniensis. Opposuit librum Auctor epistole Middletoni Angli k), quae in compendium missa legitur in *Actis Eruditorum latinis* l). Confessio peccatorum ordinaria, presbytero aperienda, locum non habuit inter christianos primos. Confessio seu exomologesis & satisfactio peragebantur a lapidis & grauius praeuaricatis in gratiam ecclesiae, ut huic de poenitentia male actorum m) & gratia Dei, a sodalibus suis recuperata, ac communionis dignitate quodammodo constaret. Presbyter, poenitentias qui exciperet, vergente saeculo IV. Constantinopoli primus fuit constitutus n), ob proteruiam mox rursus munere suo exutus, Leo Magnus confessionis auricularis in ecclesiis occidentalibus sanxit primus initia. Galli tamen & Scotti eam admittere noluerunt. Alcuin

nus

f) Laetantius de *Mortibus persecut.* c. 12.g) *Antica Basilico - grafia*, in Napoli 1686. fol.h) Eusebius de *Vita Constantini Magni* III, 36.i) *Delle Cose gentilesche e profane trasportate ad uso e adornamento delle Chiese*, in Roma 1744. 4.

k) Cap. 44. p. 213.

l) A. 1730. p. 364.

m) Tertullianus de *Poenitentia* c. 8. 9. Cyprianus de *Lapis* p. 134. Ioannes Fellus in *Notis* p. 135. I. H. Boehmerus l. c. Diff. III. §. 153, sqq.n) Socrates H. E. V, 19. Sozomenus H. E. VII, 16. *Journal des Savans* 1745. Iuin p. 210.

rus ad Scotos exeunte saeculo octauo eorumque sacerdotes scripsit o), permoturus illos ad eam fuscipiendam, vñus argumentis e sacro codice vñcunque deponitis. Dedit idem epistolam ad pueros S. Martini de confessione peccatorum p), qua confessio auricularis commendatur. Tertullianus vero statuit q), Deum solum remittere peccata, & veniam largiri poenitentibus eis, quibus ab ecclesia non possint peccata grauiora & cum offendiculo publico nimis coniuncta remitti. Apud inferos adhuc dari exomologesin, negauit Cyprianus.

§. XXIII. In ecclesia christiana Deus gratiam suam per verbum vtriusque foederis canonicum hominibus offert & per sacramenta non reluctantibus confert. Ecclesia haec est multitudo credentium, in Christum magistrum a) & caput suum vnicum b) doctrinae professio-ne c) publica & fiducia recumbens, ac ab eo per declarationem fidei, fideique fructus, beatitudinem consummatam exspectans. Vnuerfi, qui ecclesiam christianam constituunt, sunt velut vnum homo d), vnum corpus. Nomen trahunt e) a Christo, & interuentu huius nominis ab vñctione f) Spiritus sancti, qua Christus & sodales eius sunt imbuti. Christianorum nomen olim simulacrorum cultoribus crimine g) plenum videbatur, idque nomen videbatur eis saepius dignum, propter quod illi, qui eo se censi reprobabant, odio, crimen, & poena ob-

## K

ruen-

- o) Ep. 26. p. 60. To. I. Lectionum antiqui. Canili. ed. pr.
- p) Ibidem p. 323. sqq.
- q) De pudicitia c. 3. p. 646. T. I. Opp. Cyprianus consentit de Lapsis p. 129. edit. Fellii.
- a) Iustinus Martyr Apol. II. p. 60.
- b) Irenaeus III. 16. V. 18. Gregorius Nazianzenus Orat. 31. Tom. I. Opp. p. 501.
- c) Iustinus Apol. II. p. 63, sqq.
- d) Iustinus in Dialogo cum Tryphonie Iudeo p. 344.
- e) Iustinus Apol. II. p. 60. Theodoreetus ad Ief. LXII.
- f) Theophilus ad Autolycum I. 17. p. 55. ed. Wolf. Cyrilus Hierof. Catech. IV.
- g) Theophilus ad Autolycum I. 2. p. 5. Iustinus Martyr Apolog. I. §. 4. Tertullianus in Apologetica c. 2. 3. Athene-nagoras p. 3. sqq.

ruendi essent. Nihilominus genuini christiani inter perpessiones & tormenta & necem instantem exclamabant intrepide & constanter h): *Christianus sum, Christiana sum.* Ipsi enim sciebant certo, nomen id Deo i) gratum esse & acceptum, licet insectatores ingeminarent illud k): *Christianos ad leonem.* Nomen enim illud venerabile tunc nondum nota & insigne nationum euaserat, monumentum potius doctrinae apostolicae, vitae purioris, ac constantiae, saepius tormenta & omnes mundi horrores vincentis. Conditor & fundator ecclesiae est Christus, qui disciplinae & doctrinae rationes per Apostolos conformatuit l), certam vero formam haud m) determinauit, Apostolos ipsos ad aequalitatem status ac humilitatem mentis decoram cohortatus. Plana sunt illa Tertulliani de Praescriptione haereticorum c. 20. p. 412. Tom. III. Opp. *Christus duodecim praecipuos lateri suo allegaverat destinatos nationibus magistros.* Itaque, uno eorum decusso, reliquos undecim, digrediens ad Patrem post resurrectionem iussit ire & docere nationes intinguendas in Patrem & in Filium & in Spiritum sanctum. Statim igitur Apostoli - - assumto per sortem duodecimo Matthia - - primo per Iudeam, contestata fide in Iesum Christum, & ecclesiis institutis; dehinc in orbem profecti, eandem doctrinam eiusdem fidei nationibus promulgauerunt n) & proinde ecclesiis apud unquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei, & semina doctrinae, caeterae deinde ecclesiae mutuatae sunt, & quotidie mutuantur, ut ecclesiae siant. ac per hoc & ipsae Apostolicæ deputantur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam recensetur,

- h) Tertullianus in *Apologet.* c. 2. Eusebius H. E. V, 1. VIII, 3.
- i) Theophilus ad Autolycum I, 2, p. 4. sqq.
- k) Ven. Io. Laur. Mosheimii Diff. ad 2 Tim. IV, 17. de Paulo ex ore leonis liberato Helmst. 1725, 4. Tertullianus in *Apologet.* c. II. & vlt. ac de Spectaculis c. 21.

- l) Tertullianus de *Praescript.* c. 20.
- m) Ill. Iustus Henning. Boehmerus in *Diss. suris ecclesiastici antiqui* IX. §. 7. p. 455. sqq.
- n) Iustinus Martyr in *Apologet.* II. p. 78. Lactantius *Institut.* diu. IV, 21.

seatur, necesse est. Itaque tot & tanta Ecclesiae vna est illa ab Aposto-  
 lis prima, ex qua omnis. Sic omnes primae & Apostolicae, dum vna  
 omnes probant unitatem: dum est illis communicatio pacis, & adpella-  
 tio fraternitatis, & confeſſeratio hospitalitatis. Quae iura non alia ratio  
 regit, quam eiusdem sacramenti (disciplinae christiana) vna traditio.  
 Addit idem c. 21. p. 414, ne vnitatem ecclesiae mero consociationis no-  
 mine putas constare, haec saluberrime: *Confat proinde, omnem doctrinam,*  
*quae cum illis ecclesiis apostolicis matricibus & originalibus fidei*  
*conspirat, veritati deputandam, sine dubio tenentem, quod ecclesiae ab*  
*Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit; omnem vero doctrinam*  
*de mendacio praejudicandam, quae sapiat contra veritatem ecclesia-*  
*rum (primarum), & Apostolorum & Christi & Dei.* Eadem vero fuit  
 doctrina Apostolorum tam in secreto quam in publico. Demonstran-  
 uit hoc ipsum Tertullianus c. 25. p. 419. sqq. Praeter hanc doctrinam  
 primi christiani o) prouocarunt in singulis ecclesiis ad successionem  
 Episcoporum, ab Apostolis arcessendam. Originem vero ultimam ra-  
 tione ordinis ad Apostolorum primum seu principem, Petrum p), re-  
 tulerunt. Tertullianus felicem praedicauit aetatis suae ecclesiam Ro-  
 manam, ita differens q): *Ista quam felix Ecclesia! cui totam doctrinam*  
*Apostoli cum sanguine suo profuderunt: ubi Petrus passioni dominicae*  
*adaequatur: ubi Paulus Ioannis exitu coronatur: ubi Apostolus Ioannes,*  
*posteaquam in oleum igneum demersus, nihil passus, in insulam relegatur.* Ecclesia autem constituta credebatur in Episcopo & Clero &  
 omnibus r) stantibus. Cyprianus negavit s), vnum Episcopum di-  
 tioni vel potestati alterius subesse. Sed paullo post coepit externa ec-  
 clesiae

K 2

- o) Tertullianus de *Præscr. haeret.* c. 32. p. 428. Irenaeus IV, 43. V, 20.
- p) Cyprianus L. I. ep. 3. ep. 8. ep. 12. L. III. ep. 11. 13. L. IV. ep. 2. 8.
- q) De *Præscript. haeret.* c. 36. p. 434.

- r) Cyprianus ep. 33. p. 66. ed. Felli. ep. 66. 168. ep. 46. p. 89.
- s) Ep. 33. p. 66. ep. 69. p. 188. ep. 73. p. 210.

clesiae forma ad dioeceses proconsulum & praesidum politicas attemperari, quam Constantinus Maximus t) tandem perfecit, Archiepiscopis praerogatiuam v) & audientiam, iurisdictionis speciem, largitus, quam Paulus Samosatenus potissime primus x) usurpauerat, feminarum subintroductarum & libidinis y) magister, ob errores tandem se deiectus. Frustra sunt, qui z) metropoliticam Episcoporum dignitatem ab Apostolorum constitutione deducere contendunt. Primis saeculis cum supplicis & aerumnis multum erat rei eis, qui ad executum usque suum Christo, inhaerebant. Nam nemo, Tertulliano a) teste, censematur Christianus, nisi qui ad finem usque perseverauisset. Primi christiani Iustini Martyris aetate ita erant affecti erga Christum, ut, ἵδεως ὄμολογεῖν τὸν χριστὸν, perlibenter eum confessione adseclarentur b) ac ad eam confirmandam quoque mortem adirent, immortali gloriae ac beatitudini haud intermoriturae imminentes. Archiepiscopi videntur temporibus, quae Diocletianum & Maximianum Imperatores persecutores praecesserant, quibus alta quies ecclesiis refouebat multisque erat desidiae ac ambitionis materies, exorti. De eis enim Eusebius c) ita differit: *Quum ex nimia libertate in negligentiam ac desidiam prolapsi essemus: quum alter alteri inuidere atque obrectare coepisset: quum inter nos quasi bella intestina gereremus, verbis tamquam armis quibusdam bastisque nos mutuo vulnerantes: quum Antisrites aduersus antisrites, populi in populos, collisi, iurgia & tumultus agirarent: denique quum fraus & simulatio ad summum malitiae culmen adoleuisset;*

- a) Concilium Constantinop. can. 2. Codex Theodosianus L. III. de Fide catholica, Eusebius in Vita Conf. M. IV, 24. p. 638. Concil. Nicaen. 6. 7. So- crates H. E. V, 8.  
 v) Eusebius l. c. IV, 27. p. 640.  
 x) Eusebius H. E. VII, 30. p. 361.  
 y) Ludou. Anton. Muratorius in Anec- dotis graec. p. 223.

- tum  
 z) Recensuit illos, idem sentiens, P. Fran- ciscus Orlandius P. I. Orbis Sacri & profani illustratis L. I. c. 7. p. 36. sqq.  
 a) De Praescript. haeret. c. 3. p. 392. T. III.  
 b) Iustinus in Apol. II. p. 78.  
 c) H. E. VIII, I. p. 376.

tum diuina uilio leui brachio, ut solet, integrō adhuc ecclesiae statu & fi-  
 delium turbis libere conuenientibus, sensim ac moderate in nos coepit anim-  
 aduertere, orsa primum persecutione ab iis, qui militabant. Quum vero,  
 omni sensu destituti, de placando Dei numine ne cogitaremus quidem,  
 quum Pastores nostri spreta religionis formula multis inter se contentioni-  
 bus decertarent, nihil aliud quam iurgia, minas, aemulationem, odia ac  
 mutuas iniurias amplificare studerent, NB. principatum quasi tyramni-  
 dem quamdam contentissime sibi vindicantes; tunc - - obscurauit Do-  
 minus in ira sua filiam Sion. Noluit Eusebius iniurias, quibus ante  
 persecutionem Episcopi inter se concertauerant, ex prudentia qua-  
 dam luculentius d) commemorare. Presbyteris initio nomen quoque  
 erat Episcoporum, licet ordo inter eos extaret. Presbyterorum pri-  
 mus erat ad medium fere saeculi secundi Episcopus. At posthaec e)  
 eligi coepit Episcopus ac presbyteris diaconisque praefici. Solebant  
 iam saeculo secundo ac tertio nomina Episcoporum in tabulariis ecclae-  
 siarum f) adseruari & praedicari eorum successiones g) instar tessera-  
 rum doctrinae apostolicae, licet doctrinae successio h) in primis chri-  
 stianae ecclesiae esset curae cordique. Differentia inter clericos & lai-  
 cos i) videtur ex ecclesia iudaica, cuius formam Cyprianus in christia-  
 nam omni contentione traduxit, translata. Quos candidatos mini-  
 sterii, nondum quippe ecclesiae certae prepositos, adpellamus, eos  
 Tertullianus k) etiam laicos vocauit. Ex schemate Leuitico sacerdo-  
 tes,

## K 3

- d) H.E. VIII, 2. p. 377. sqq.
- e) Hieronymus apud Grarianum in C. 5. D. 95. & Ep. 85. Ignatius Ep. ad Ma-  
gnes. §. 2. 3. Io. Tob. Maior Diff. de  
Sedibus Episc. primar. §. II. sqq.
- f) Eusebius H. E. V, 12. p. 225. 6. p. 217.  
Irenaeus III, 3. p. 139. sqq.
- g) Tertullianus de Praescript. Haeret. c.  
36. p. 434. T. III. Opp.
- h) Martini Chemnitii Examen concilii  
Tridentini P. I. p. 44. sqq. Francof.  
ad Moenum 1574. fol. Tertullianus  
in Apolog. c. 20. p. 145. T. II.
- i) Clemens Romanus in Ep. ad Corin-  
thios p. 53. ed. Felli. Tertullianus  
de Exhort. castit. c. 7.
- k) De Praescript. Haeret. c. 41. p. 442.

*tes, sacrificia, altaria, nouos significatus obtinuerunt, Cypriano aliisque sermonem vstatum notionibus nouis ac vocula haud vna noua permutantibus; licet alii dudum l) monuislent, caerimonias leuiticas fuisse duntaxat ad tempus datas ac tandem sublatas. Ecclesiae primae passim quoque presbyteris laicis gaudebant, & formulam m) fidei, quae complectitur originem symboli apostolici, custodiebant. Ecclesia prima ex Iudeis & ethnicis, ad doctrinam Iesu adgregatis, n) constitit. Magistratus quoscunque, quippe a Deo constitutos, pie honorauerunt christiani primi, eorumque iussis gesserunt morem, praeterquam quod idolatriae renuntiarunt & in eo fuerunt toti, vt ipsi aduersa potius tolerarent, quam vt conscientiae rectae & obedientiae magistratibus de caetero praestanda, reluctarentur. Coniugia ipsi solemniter in conuentu sacro traditis annulis, oblatione facta, & inter benedictiones o) sacrabant ac deinde inibant. Nuptiis secundis minime fauebat p) Tertullianus, respectu ad persecutions crebrioses habito. Pudicitia aequae ac coelibatus saeculo tertio magni solebat fieri. Monuit tamen Clemens Alexandrinus Strom. III. p. 447, conatum seruandi castitatem externam per se nec esse bonum nec virtutum in numero censendum, nisi is ex amore, in Deum propenso, fuerit genitus ac enatus. Adiunxit idem illi admonitioni sententiam, qua, quid ipse de coniugii contemptoribus iudicauerit, declaratur. Docuit luculente simul ac Paulo 1 Tim. IV, 3, congruenter, eos, qui coniugium nuptiasque auersentur ac fastidian, inhaerere cacodaemonum doctrinis. Subiunxit idem exempla Apostolorum, qui thalami haud fuerint exfortes. Accipe, Lector, verba ipsa, p. 448. prescripta formis publicis, ac Carporacrianis instillata: An etiam reprobant Apostolos? Petrus enim & Philippus*

l) Tertullianus *aduersus Iudeos* c. 4  
p. 344. T. III.  
m) Tertullianus de *Praescript.* c. 10.  
p. 405. sqq.

n) Idem *aduersus Iudeos* c. 1. p. 335.  
o) Idem de *Idolol.* c. 16. p. 71. T. III. &  
ad *Vxorem* II, 8. p. 332. T. II. (2)  
p) Ad *Vxorem* I, 1. p. 307. 2. p. 308.

lippus liberos procrearunt. Philippus vero filias quoque suas viris tradidit. Et certe Paulus quidem non veretur in epistola quadam suam appellare coniugem τὴν ἀντὴν προσταγεῖαν σύζυγον, ἢν δὲ περιεκέρη, quam non circumferebat, quod magno opus ei haud esset ministerio. Abhorabant Carpocratiani a legitimis coniugiis, promiscuaque fere oblectabant Venere. Hos igitur docuit Clemens, Apostolos virosque apostolicos legitimis ac honestissimis coniugiis vlos fuisse. Sensum vero loci i Cor. IX, 5, Clemens haud recte adsecutus fuit, quippe quo docemur, Paulum potestate vxoris ducendae ac circumducendae non fuisse vsum, sed coniugio sponte & ob donum singulare ac diuinum abstinuisse. Tertullianus certe facit nobiscum, ac, Paulum in coelibatu perstitisse, tradit. Vide, quaeſo, eius exhortationem ad castitatem c. 8. & librum priorem ad vxorem c. 3. Nihilominus coniugium Petri ac plerorumque Apostolorum talo stat fatis firmo. Otia hic nobis fecerunt b. D. Iohannes Fridericus Maierus in Diff. de *Petri Coniugio*, Witebergae 1684. 4. publicata, ac Ven. quondam Abbas Mariaeuallenſis Iohannes Andreas Schmidius in Diff. historico-theologica de *Apostolis vxoratis*, quae Helmstadii a. 1704. primam adspexit lucem. Episcopis plerisque primis fuerunt vxores. Copiose id ostendit Iohannes Fridericus Maierus in Diff. de *Episcopiss veteris ecclesiae*, Gryphiswaldiae anno 1702. publico examini submissa. Canonum, quos vocant Apostolicos, quintus sic habet: *Si Episcopus aut Presbyter vxorem suam obtentu pietatis eiecerit, is separetur; si perseuerauerit, deponatur.* Coelibatus itaque Clericorum nulla lege publica primis saeculis fuit stabilitus, sed potius Clericis patuit potestas ducendi vxores. Polycrates, ex patre Episcopo Ephesino natus, ipſi in eodem munere successit, ipſe vxore gaudens. Testem laudo Eusebium H. E. V, 24. Tertullianum extitisse presbyterum, vxoris participem, quis ignorat? Saeculo tamen tertio passim mos inualuit, ut ab ordinandis ac muneri ecclesiastici

co praeficiendis quaereretur, utrum uxorem essent ducturi, an coeli-  
bes mansuri. Sponsiones istae, quarum Clemens Alexandrinus loco  
laudato meminit, non exigebantur, propterea quod coniugium cen-  
sebatur impurum vel quod voto clerici solebant adstringi; sed in pri-  
mis ob ecclesiarum paupertatem, quae familiis Episcoporum, Presby-  
terorum ac Diaconorum, alendis erant impares. Et ea quidem ratio  
successu temporis tam grauis fuit visa, ut Episcopus Romanus, Pelagius  
primus, tradiderit, coelibatum sacerdotum ideo fuisse institutum, ne  
*ecclesiastica bona in uxores & liberos eorum dissiparentur.* Vid. *disf. XXV,*  
*c. 3.* Dum vero homines vitant vitia, ipsi plerumque in contraria cur-  
runt. Inde factum est, ut Calixtus II, Romanus Episcopus, saeculo  
duodecimo conderet decretum hoc singulare, quod adhuc apud Gra-  
tianum *disf. XXVII. can. Presbyteris* legitur & ita est formatum: *Pres-  
byteris, Diaconis, Subdiaconis & Monachis, concubinas habere ticer, sed  
matrimonia contrahere omnino interdicimus.* Olim haec theologia intra  
limites religionis christianaе haud fuerat auditа. Quamuis enim ante Si-  
ricium Papam Romanum essent, qui tum voce, tum calamo, coelibatu-  
m commendarent, ipsi tamen limites modestiae non transfiliere. Si-  
ricius vero, vir exigui iudicij, ab Hieronymo *ep. 16.* & a Paulino *epi-  
to. eo nomine reprehensus, conculcauit ac migravit Pauli Apostoli mo-  
destiam, & coelibatum Clericis, fulminibus grauissimisque in medium  
adscitis comminationibus v fus vel potius abusus, imperare adgressus  
fuit. Proliferant patres concilii Eliberitani, cui Hosius Cordubensis  
interfuit. Illi enim canone XXXIII. sic decreuerunt: *Placuit, in  
totum prohibere episcopis, presbyteris, diaconibus ac subdiaconibus, pos-  
itis in ministerio, abstinere se a coniugibus suis & non generare filios:  
quod, quicunque fecerit, ab honore clericatus exterminetur.* An Cleri-  
ci, posteaquam canon hic fuerat latus, *infibulationis* remedium adhi-  
buerint, omnium maxime sum ignarus. Videntur Episcopi Hispani  
in*

in concilio Nicaeno primo oecumenico id decretum confirmari voluisse, siquidem huic Hosius idem iussu Imperatoris praesedit. Negotio autem in medium proposito, quum sententiae singulorum exquirerentur, surgens illico inter eos Paphnutius voce clara & elata monuit, non esse imponendum Clericis ac sacerdotibus graue hoc iugum, addens, honorabiles esse nuptias & torum per se immaculatum esse: verendum sibi videri, ne ex nimia severitate damnum potius quam commodum inferretur ecclesiae: non omnes ferre posse tam districtae continentiae disciplinam: fortassis inde euenturum esse, ut caiusque vxoris castitas minus custodiretur. Idem castitatem vocabat congressum viri cum legitima uxore. Monebat, satis esse, vt, qui in clerum fuissent adscripti, secundum morem, a veteri ecclesia traditum, iam non amplius ducerent uxores; nec tamen quemdam seiungendum esse ab ea, quam antehac adhuc laicus legitimate duxisset. Nolim Socratis I, 8. huc verba greca transcribere. Secutus fuit in eo Paphnutius Dionysium, Corinthiorum illustrem episcopum, qui eisdem fere argumentis in peculiari epistola improbavit priuatos quosdam Pinti, Gnostiorum episcopi, conatus, si teste nita Eusebio IV, 23. Ecquid vero cauſae exſtitit, cur saeculo iam secundo coniugia Clericorum viderentur legibus nouis circumscribenda? Cur visum fuit Episcopis iam tunc nonnullis salubre id fore institutum, si ei, qui in ordinem sacrum cooptati & adlecti erant, episcopi videlicet, presbyteri, & diaconi, ab uxorum, quas ipsi antea secum laici soſcianuerant, concubitu vel commercio familiariori, abstinerent? Primum huius nouae destinationis irritae, quae thalamis ipsis legem de finibus regundis promulgar, mihi videre videor in Carpoeratianorum libidinosa & promiscue proterua viuendi ratione. Hi enim nomen christianorum illud sanctum ac venerabile sibi contra ius fasque adrogant. Nulla pestilentior macula nomini christiano fuit iniusta, quam quum hi Carpoeratiani Curios finularent ac Bacchanalia viuerent. In de fama, malum, quo non aliud velocius ullum, vulgauit, christianos

ex vniverso omnes iura honestatis ac legum ciuilium violare, in conuentibus suis arcanis promiscuos celebrare hymenaeos, ac nihil reliqui facere, vt genio indulgent ac cuticulam eurent, ventremque saginatum, vel in pessima consortia exonerent, vel potius permulceant. Viri itaque graues in id, vt ne umbra quidem notae inustae extaret, toto incubuerunt pectore, agitantes consilia, societate humana & ipsius naturae a Deo conseruatae nobilitate ac indole infirmiori vel superiorea vel potius viliora. Accesserunt hisce destinationibus politicae rationes, in eo occupatae, ne beneficiis a coetu offerendis, quibus ex parte alebantur Clericorum familiae, exhaustirentur nimium contribuentium loculi ac opes. Gregorius tandem septimus, Hildebrandi olim nomine famosus, Siricio truculentior, immani tyrannide turbisque prorsus funestis coniugium sacerdotibus Germaniae saeculo vndecimo extorsit, teste Lamberto Schafnaburgensi ad annum 1074. Successor Gregorii Urbanus II. & sequenti saeculo Paschalis III. eisdem vestigiis sat inhumanis institerunt. Qui Pontificales insultus tandem in concilio Lateranensi anno 1215. ab Innocentio tertio, & in Tridentino, a Paulo III. anno 1541. iudicto, confirmati fuerunt ac constabiliti. Copiose haec exposuere viri quandam celeberrimi, Henricus Müllerus in *Coniugii Clericalis Patrocinio*, Rostochii a. 1665, 4. euulgato, Georgius Calixtus in *Libro de Coniugio Clericorum*, Helmstadii 1631, 4. edito, ac Iohannes Andreas Schmidius in *Paphnutio caelibe, coniugii Clericorum patrono ac vindice*, Helmstadii 1703, 4. luci publicae idato. Edifferenda essent momenta de ordinis ecclesiastici indole, de muniis, doctrina, & moribus, & aetate, & ordinatione Lectorum, Subdiaconorum, Diaconorum, Presbyterorum, ac Episcoporum, de Laicorum in rebus ecclesiasticis iure, de ministrorum ecclesiae excellentia & auctoritate, de Synodorum ac disciplinae forma, de unitate ecclesiae ac de schismate, quod coniunctioni ac unitati illi e diametro saepius repugnauit, nec non de causis ac modo, quibus munere suo ecclesiastico exciderunt viri,

viri, inter Clericos recepti. Quis vero tam est excors, ut nequeat iudicare, tractationem, de hisce rebus suscipiendam, regionibus ac cancellis, quibus institutum meum circumscribitur in praesens, esse multo latiorem ac ampliorem. Libet tamen laudare Anonymum Anglum, cuius Dissertationem, de Inferioribus Ordinibus alisque Antiquitatibus primitiue Ecclesiae Anglice conscriptam, latine interpretatus fuit Jenkins Thomasius, Cambro-Britannus. Legitur illa in Thomasii huius Dissertationibus varii argumenti, Altdorfi Noricorum 1712, 8. editis, p. 240. sqq. Auctor, quisquis ille fuerit, in Patrum primorum certe versatissimus fuit lectione. Persuadere lectoribus suis contendit Auctor Gallus, solam ecclesiam Romano-catholicam profiteri omnes christianae ciuitatis doctrinas, veritati superstructas. Id sibi creditit datum esse negotii in Opere quinque Voluminum, cui inscriptionem seu indicem praefixit *Traité de la véritable Religion*. Euulgatum illud fuit paucis abhinc annis Lutetiae Parisiorum in 12. Adiunxit idem paullo post illi Operi Tomos tres, eadem forma induitos, quibus est titulus *Traité de l'Eglise de Jésus Christ, dans lequel on examine, quelle est la nature de cette Société sainte, quels sont les Caraïbres, dont elle est revêtue, & quels sont les Privileges, dont elle jouit.* Prodierunt ipsi Parisiis anni 1743. 12. in lucem. Addidit idem ex vestigio XII. Dissertationes loco Continuationis, tribus Voluminibus comprehensas. Nisi dogma de auctoritate & iudice controversiarum adspectibili instar fundamenti posuisset, maiores in facie ecclesiae primae perspicienda profectus sibi parasset Auctor. Ignorabant saecula prima illum iudicem. Athanasius reprehendit ac auersatus fuit eos, qui tunc id agebant, ut yni in rebus religionis obsequendum esset. Adiicit idem hanc quaectionem: *num ἀλέγως credam?* Leguntur haec in eius Tom. II. Opp. p. 325. Examen veritatis diuinae nemini non in ecclesia prima fuit permisum ab Apostolis eorumque in ministerio successoribus. Si quid incideret grauius ac controversiae plenum, Synodi conuocabantur in

pro-

prouincia, quibus intererant Episcopi, Presbyteri, Diaconi, ac viri religiosi Laici; eo delegati a coetibus vel uno vel pluribus. Hi omnem Laicorum multitudinem repraesentabant. Episcopi Romani praesidentis nulla, nequidem in Concilio Nicaeno, fit mentio. Testem excito Eusebium H. E. V, 16. VII, 30. & Cyprianum ep. 14. §. 2. ep. 26. §. 4. ep. 31. §. 5. Vbi a consortibus ecclesiae particularis crimen in disciplinam erat admissum, ibi a pastore ad grege ipsi commissio illorum causa audiebatur, ac a coetu, quod e re esset, decerni solitum erat, teste Cypriano ep. 55. §. 16. Episcopus in eiusmodi rebus erat moderator, nemini nisi Christo rationem propositi sui redditurus, eodem teste ep. 52. §. 13. Ne tamen vinculum cum ecclesia vniuersali rumperetur ac concordia in nihil recideret, Episcoporum unus vel plures consulebantur a ceteris in commune, ceterisque hi per litteras encyclicas de statu ecclesiarum particularium notitiam suppeditabant, teste eodem ep. 30. §. 4. ac Eusebio H. E. VII, 9. In Conuentibus Synodicis solebant vicinae ecclesiae de communi ecclesiarum utilitate capere consilia ac haeresibus obdere repagulum. Conuocata synodo, priusquam res villa tractaretur, praesentes, inter quos erant quoque Laicorum legati, ex Episcoporum ordine deligebant nunc unum, nunc duos viros grauiores, qui essent consiliorum moderatores ac prolocutores, nihil tamen per se decederent. Sententia omnium erat pro lege, Cypriano teste ep. 42. §. 5. ac Eusebio H. E. VII, 30; respectu tamen peregrinarum ecclesiarum, quas nemo repraesentabat, instar consilii erat illorum sententia. Vnicum controuersiarum iudicem adspectabilem primorum quatuor saeculorum ecclesia salubriter ignoravit. Athaechatenus. Militiam ob certa momenta fugerunt nonnumquam christiani. A iureurando fere abstinuerunt omnes. Docuerunt eidem, Satanam, qui cum suis a Deo q) descen-

q) Tertullianus in *Apologet.* c. 22. p. 164. phone *Iudeos* p. 331. *Apol.* II. p. 75.  
Tom. II. Opp. Irenaeus L. V. p. 328. Justinus in *Dialogo cum Try- Theophilus ad *Autolycum* L. II. p. 104. sqq. edit. Colon. fol.*

desciuerat, primos parentes r) decepisse, idololatriam in orbem s) inuexiſſe, achaeresium eſſe auctorem t) ac patronum, piis insidiari ac eos pro viribus infestare v), Christo olim insidias struxiſſe x), numquam refiſcere cum reliquis angelis malis, sed aeterno exitio y) punitum iri. Crediderunt vniuersi christiani primi, gratiam Dei a piis in hac vita impulsu Satanae amitti ac interuentu seriae poenitentiae recuperari. Notissimus eſt Tertulliani *de poenitentia* liber. Notissimae ſunt reliquorū Patrum dehortationes; & lapsorum, qui ad frugem redierunt, exempla ſunt notissima. Quanta prudentia christiani doctrinas suas ac disciplinam ſuam coram gentibus, ab ipsorum doctrina diſiunctis, traſtauerint, notius eſt z), quam vt copioſe hic videatur exponendum. Et eam quidem ob causam Tertulliano viſum eſt factum prorsus indignum, ſi vxor christiana marito nuberet, a Christi doctrina alieno. Doctrina & vita Episcopi vnius ac alterius non erat norma ac regula ſidei vitaeque primorum christianorum. Veritas apostolica & sanctitas Christi erant *vniuersitatis* ecclesiae radix & origo. Aniceti, Victoris, Cornelii, Liberii, Zofimi, & aliorum Episcoporum naeuos & errores auerſati ſunt christiani primi. Quid ergo, Tertullianus inquit a), ſi epifcopus, ſi diaconus, ſi vidua, ſi virgo, ſi doctor, ſi etiam martyr, lapsus fuerit a regula, ideone haereses veritatem videbuntur obtinere? Ex perſonis probamus fidem? an ex fide perſonas? - - Omnia examineate b); quod bonum eſt, tenete. Sancta dicebatur ecclesia, quia credebat in

L 3

Chri-

- r) Idem de *Habita mulieri* c. 3.
- s) Idem de *Idololatria* c. 16. p. 71. T. III.
- t) Idem de *Præscript.* c. 39.
- v) Idem de *Poenitent.* c. 7. p. 462. Iuſtinus in *Quæſt. & Responſ.* ad *Orthodoxos* pag. 403. in *Dialogo cum Tryphonе* Iudeo p. 360.

- x) Iuſtinus in *Dialogo cum Tryphonе* Ju-  
daeo p. 331. 354. ſqq.
- y) Iuſtinus in *Apol.* II. p. 71.
- z) Tertullianus *ad Vxorem* II, 5. p. 377.  
ſqq.
- a) De *præscript.* c. 3. p. 392. Tom. III.  
Opp.
- b) c. 4. p. 394.

Christum & ideo in coniunctionem cum Deo ingrediebatur c), ac sancte viuentes d) complectebatur. Catholica dicebatur, eo quod regnum Christi est vniuersale e), qui homines suo sanguine redemit f) spirituque sancto eam conferuat g), ac, rebus creatis in nihilum redeuntibus h), iudicaturus est viuos ac mortuos i) in vitam reuocatos, qua Deus & homo k), malosque aeternis suppliciis damnabit l); eos vero homines, qui ad vitae finem in fide viua perseverarunt, angelis bonis sanctisque, qui pios in hac m) vita tuentur, adgregabit & in vita aeterna gaudiis n) numquam intermorituris reficiet. De animarum humanarum immortalitate dubitauit primorum christianorum nemo. Resurreccio mortuorum erat tessera doctrinae eorum, a Patribus singulis grauiter pertractata & inculcata. Iudicium extrellum o) haereticis solide ab ipsis propositum fuit velut speculum, in quod intuerentur. Ante Augustinum p) nemo docuit, ipsos esse occidendos ignique exurendos. Saeculo demum quarto & quinto publice constitutum fuit, ut Porphyrii ac aliorum haereticorum libri conquirerentur ac concremarentur, nemoque christianorum eos impune possideret. Cyprianus iussit spirituali gladio haereticos & contumaces necari, id est,

- c) Idem *aduersus Iudeos* c. 9. p. 360. T. III.
- d) Iustinius *Apol.* II. p. 61. Tertullianus *de Idololat.* c. 9. p. 39. sqq. *de Praescr.* c. 28. p. 423.
- e) Tertullianus *aduersus Iudeos* c. 7. p. 353. T. III.
- f) Idem L II. *ad Vxorem* c. 3. p. 325, *aduersus Iudeos* c. 14. p. 386. Irenaeus *adu. Haer.* L. V. p. 294. sqq.
- g) Tertullianus *de Praescr.* c. 28. p. 423.
- h) Idem *contra Hermogenem* c. 34. p. 233. Iustinius in *Quæst. & Respo. ad Orthodoxos* p. 451.
- i) Iustinius in *Apol.* II. p. 87. &c.
- k) Ambrosius *de Fide* III, 4. Irenaeus III, 21. p. 185.
- l) Iustinius in *Dial. cum Tryphone Jud.* p. 350. in *Quæst. & Respon. ad Orthod.* p. 472. *Apol.* II. p. 67.
- m) Iustinius in *Quæst. & Respon. ad Orthodox.* p. 410.
- n) Lactantius *Instit. div.* VII, 24. Irenaeus IV, 37. p. 243. Tatianus *Or. contra Graecos* p. 153.
- o) Tertullianus *de Praescr.* c. 44. p. 444. Iustinius in *Quæst. & Respon. ad Orthod.* p. 394.
- p) Epist. 93. c. 3. §. 9. p. 177. Tom. II. Opp.

est, de ecclesia eiici, ep. 4. p. 9. edit. Felli. Idem sensit Tertullianus, idem Hieronymus, idem prisci Christiani. Conferri hic digna est Ven. Ioannis Laurentii *Diss. de Poenis Haereticorum*, contra Stephanum Iauorskium adornata Helmstadii 1731, 4. ac Fabricii *Notitia propagatorum Christianorum sacrorum* c. 26. Ion Thomas von Höckdorf in gründlichen Betrachtungen über Pufendorfs Buch von der Verbältnis der christlichen Religion gegen den Staat, libro, 1744, 8. Lipsiae edito, Consideratione VI. p. 165. sqq. hoc argumentum solide pertractauit nobisque fecit otia. Christus, cuius regnum est ecclesia christiana, vindex & vltor erit ipse haereticorum, nisi respuerint, in die extremo. Monendum mihi est ad calcem & in limine, doctrinam de communicacione idiomatum in Christo, ex Patribus deducendam primis, ob instituti rationem a me copiose hic exponi haud potuisse. Solide autem eam edisseruit Martinus Chemnitius, decus olim Brunsvici, in Libro de Duabus Naturis in Christo, Jenae 1570. 8. in lucem emissā. Versatissimus erat Auctor in lectione Patrum, dignaque ideo haec eius est tractatio, quae denuo recudatur.

\* \* \* \*

§. XXIV. Quibus praemissis me iterum ad Vos, GENEROSI PRAESTANTISSIMI QE IVVENES, Carolini ornamenta, conuerto. Celebranda mihi est ea, quam hucusque publice comprobasti testamque fecisti, diligentiam morumque elegantiam. Oro & hortor Vos peramanter & omni studio, vt eam laudem perpetuo ducatis Vestram eamque in dies augeatis ac excolatis. Vos enim estis salutis publicae soboles, CAROLI, quanti Ducis? delicium, parentum Veterorum & familiae honos, laetissimum posteritatis felicioris incrementum,

tum, patriae spes, gaudium nostrum. Conuertit in Vos ora, animos,  
& spes suas multitudine recte de salute Vestra sentientium. Respicit  
Vos Brunsuicensis ciuitas, & intuetur in Vos vicinia, tanquam in spe-  
culum eruditionis & disciplinae elegantioris. Ne fallite, maximo-  
pere Vos obsecro, sapientissimas SERENISSIMI DVCIS destinatio-  
nes, desideria Curatorum, exspectationem parentum, Professorum spem,  
meamque curam, VOBIS consecratam. Vincite virtutibus obrecta-  
tiones improborum. Superate spem eorum, qui in Vobis docendis  
sunt occupatissimi. exhilarate molestias ephororum, quorum industria  
adamantina & caritas paterna vos domi forisque ducit, trahit, for-  
mat, fingit, exornat. Hasce VOBIS, OPTIMI, preces admoueo.  
His calcaribus promtam & sponte procurrentem diligentiam ac oc-  
cupationem Vestram nobilissimam extimulo, acuo, & commu-  
nio. Date hoc, quaeso, precibus meis, concedite hoc deside-  
riis votisque meis flagrantissimis, ut eas & haec aequi boni-  
nique consulatis. In VOBIS sita sunt omnium bonarum artium &  
disciplinarum praesidia, decora, munimenta. Vos estis publicae gau-  
diorum nostrorum primitiae. Vos estis CAROLINI radix & stirps  
prima. Vos estis dulcissimorum fructuum messisque largissimae, suc-  
cessu temporis in lucem progressurae, pignora & oblectamenta. Con-  
iungite tandem vota VESTRA cum meis, pro perenni incolumentate  
ac omnigena salute felicissimisque incrementis SERENISSIMI DVCIS  
PRINCIPISQUE NOSTRI INDVLGENTISSIMI, DOMINI CLE-  
MENTISSIMI, atque CELSISSIMAE DOMVS BRVNSVICO - LV-  
NEBVRGENSIS, ardenter & perpetuo concipienda, geminanda, pro-  
uehenda, ac in coelis serio defigenda. Domus hacc Augustissima ac  
Serenissima a Bonifacio, Caroli Magni tempora adtingente, per tot sae-  
cula, per tot casus, per tot discrimina, stetit adhuc, floruitque, & viget,  
ac hostium machinationes felicissime & vndiquaque elidit. Benefacit  
nobis Bonifacii sera & celssissima propago, CAROLVS: benefacit, rei  
sacrae:

sacrae; benefacit Muis: benefacit ciuibus suis: benefacit exteris, & vniuersis, qui clementiam eius indefessam voluerint experiri. Vos huius summae benignitatis in dies capitisi experimenta. Quid igitur iustius mentibusque nostris magis consentaneum est, quam vt Deum ter Optimum Maximum ardentissimis pro Eo imploremus precibus, certemusque votis? Orabant Deum primi christiani pro Imperatoriis Principibusque a), per quos lerna malorum in illos velut agmine facto effundi & proiici solebat; vt omnia christianis essent tranquilla. Cum enim concutitur imperium, concussis etiam ceteris membris eius; vtique & ipsi, licet extranei a turbis, in aliquo loco casus inueniuntur. Quanto magis nos munimenta & precum & votorum castissimorum pro salute CAROLI, quem pietas & scientiarum honos ac salus publica veneratur coeloque inserit, fluctibus procellisque calamitatum omnibusque incommodorum minis opponimus? Hic enim, tanquam Augustus alter, tot & tanta b) negotia solus sustinet, res Brunsuicenses & imperii armis consiliisque tutatur, morum disciplina ornat, religione fuci experte munit, legibus in dies emendat, & ita tempus, ac id, quod iniuria temporum sublapsum fuit, reparat, vt praestantissima eius consilia eant *numquam retrorsum*. Faxit in posterum summus ille rerum arbiter, fons summae benignitatis inexhaustus, vt salus eisdem, firmitas valetudinis, successus destinationum saluberrimarum, excelsitas DOMVS SERENISSIMAE, diligentissima ac indefessa PRINCIPATVS moderatio, Carolini fl̄os, Carolini incrementum, Carolini honos aeternitate dignus, eat *numquam retrorsum*. Et quodnam symbolum doctrinæ christianaæ repurgatae, artiu[m] scientiarumque præsidii, studiis communibus, moribus, ad honestatem ac pietatem compositis, ipsique institutioni nostrae atque diligentiae Vestrae accommoda-

a) Tertullianus *Apolog.* c. 31. p. 238. b) Horat. ep. I, L. II. v. I. sqq.  
Tom. II. Opp. Conf. c. 39. p. 292.  
c. 30. p. 228.

+ + + ) o o ( + + +

modatius reperiri & excogitari potest, quam illud **NVMQVAM RETRORSVM?** *Reparatio temporis* nobis ob oculos in dies versatur. Animus ad imaginem Dei est *reparandus*. Siquid maculae insidere coepit animo, illud sanguine Christi eluendum est precibusque *reparandum*. Si educatio prima habuit quid virtii, id in Carolino est *reparandum*. Siquid institutio prior traxit maculae, id hic est *reparandum*. Siquid ferociae prauaeque consuetudinis menti adfixum haeret, id hic est exuendum, & ornatus, hominis scopo optimo dignus, loco eius est *reparandus*. Quicquid feces & degener saeculi habitus inueniunt, id per gratiam Dei & Principis benignitatem hic est *reparandum*. At quorsum me pietas, quorsum me veneratio, pepulit? quorsum me admiratio salutis publicae abstraxit? **PRINCEPS SERENISSIMVS** laudari recusat, elogiis quippe vniuersis superior. Inuitamenta actionum praeclarissimarum diuiniora sequitur **PRINCEPS**. Amor in Deum & patriam, pietas in suos, amor salutis omnium, exemplar perfectionis Dei, imagines maiorum, proprius genti *Brunsuico - Luneburgensi* de publica re bene merendi ardor, & conscientia recte factorum **PRINCIPEM** ducunt, animant, trahunt, ac vinculo indiuiduo complectuntur. Sic ipse est natus, sic est institutus, sic consilio suo conformatus. Iussit me idem **PRINCEPS SERENISSIMVS**, idem **DOMINVS NOSTER INDVLGENTISSIMVS**, paelectiones meas continuare. Iussis ac praceptionibus hisce **DVCIS SERENISSIMI** saluberrimis non solum obedientissime morem gero, sed in hac etiam obedientia & pietate humillima gloriam decusque meum & positum credo, & prorsus defigo. Nam *Principibus placuisse viris non ultima laus est*. Adspiret modo Deus coepitis in posterum quoque gratiam suam & benignitatem! Sic fides & pax & honor pudorque priscus & neglecta redire virtus audet: *adparetque beata pleno copia c) cornu*. Id autem de-

c) Horat. in carmine saeculari n. 15.

eus, illa ornementorum copia, animis docentium ac discentium inhaeseret & in actiones externas propullulabit, simulac sapientiam illam ac eam virtutem diuinam, auctore & duce Spiritu Sancto, mentibus nostris curamus inferendam ac infigendam, qua christiani primi effloruerunt, excelluerunt, ac posteris omnibus ad mundi vsque ultima praeluxerunt. O quam egregium est illud Laetantii de puritate ac innocentia primae christianorum aetatis testimonium! O quanta erat illa doctrinae christianae dignitas! o quantum eius olim erat pretium! o quanta quandam sapientiae huius diuinitus reclusae erat vis & efficacia! Redeo in memoriam Laetantii, qui hanc vim d), & hanc vitam religionis christianae in numero argumentorum, quibus veritas fidei ac doctrinae christianorum stabiliri solet, deputauit, ita differens: *Dei p̄cepta; quia & simplicia & vera sunt, quantum valent in animis hominum, quotidiana experimenta demonstrant.* Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effraenatus: paucissimis Dei verbis tam placidum, quam ouem, reddam. Da cupidum, auarum, tenacem: iam tibi eum liberalem dabo & pecuniam suam plenis manibus largientem. Da timidum doloris ac mortis: iam cruces, & ignes, & Phalaridis taurum, contemnet. Da libidinosum, adulterum, ganeonem: iam sobrium, castum, continentem videbis. Da crudelem & sanguinis appetentem: iam in veram clementiam furor ille mutabitur. Da iniustum, insipientem, peccatorem: continuo & aequus & prudens erit. Vno enim lauacro malitia omnis abolebitur. Tanta dininae sapientiae vis est, vt, in hominis pectus infusa, matrem delictorum fistulitiam, uno semel impetu expellat. Ad quod efficiendum non mercede, non librīs, non lucubrationibus, opus est. *Gratis ista fiunt, facile, cito.* Pateant modo aures, & pectus sapientiam sitiat. Nemo vereatur. Nos aquam non vendimus, nec solem mercede praeflamus. *Dei fons uberrimus atque plenissimus patet*

M 2

d) *Institut. diuin.* III, 26, p. 377, edit. Walch. Lips. 1715, 8.

zet cunctis: & hoc coeleste lumen uniuersis oritur, quicunque oculos habent. Nam quis haec Philosophorum aut unquam praestitit, aut praestare potest? qui, quum aetates suas in studio philosophiae conterant, neque alium quenquam, neque seipso possunt facere meliores. Itaque sapientia eorum, ut plurimum efficiat, non excidit vitia, sed abscondit. Pauca vero Dei praecepta sic totum hominem immutant & exposito veterre nouum reddunt, ut non cognoscas, eundem esse. Laudavit hoc Laurentii pronuntiatum merito b. Henricus Ludolfus Benthemius e) il ludque christianis saeculi nostri proposuit expendendum. Qui ita affecti sunt animo, ut congruant fides virtutesque eorum indoli primorum christianorum genuinae, illi profecto ea intra se sentiunt, quae Iesus adsectoribus suis promisit: illi profecto gustant & vident, quam benignus sit Dominus: illi gratiam baptismalem adseruant: illi de veritate religionis christiana per experientiam interiorem & spiritualem sunt certissimi & conuicti. Si hanc coronidem studiis nostris imposuerimus, eorum fructibus, per gratiam Dei expurgatis, fruimur dulcissimis, stimumque discendi restinguimus vndis limpidissimis, in vitam aeternam profsidentibus. Placuisse Deo, Lebissimi Iuuenes, suprema omnino laus est & apex felicitatis, quae in homines cadere potest, excellentissimus. Primorum christianorum illa solicitude, illa cura, erat propria, ut vbique Deum sibi ob oculos ponerent, & vtei placerent, ad laborarent. Communicabo Vobiscum Tertulliani f) testimonium, vt fides dictis constet vel eis concilietur. Accipite, quaeſo, illud animis Deo consecratis, sic comparatum: *Corpus sumus de conscientia religionis, & de disciplinae unitate & spei foedere. Coimus in coetum & congregationem, ut ad Deum, quasi manu facta precationibus, ambiamus*

e) In Vorſtellung und Betrachtung der alten Kirchenlehrer von der Wahrheit und Görligkeit christlicher Religion P. IV. c. I. §. 22. p. 459. sqq.  
Hamburg. 1727, 8.

f) Apologet. c. 39. p. 292. sqq. Tom. II. Opp. Conf. Iustini Martyris Apolog. II. p. 58. sqq. Athenagorae Legatio pro christianis p. II. sqq.

mus orantes. Haec vis Deo grata est. Oramus etiam pro Imperatori-  
bus, pro ministris eorum, ac potestatibus, pro statu saeculi, pro rerum  
quiete, pro mora finis. Cogimur ad litterarum diuinarum commemora-  
tionem, siquid praesentium temporum qualitas aut praemonere cogit aut  
recognoscere. Certe fidem sanctis vocibus pacimus, spem erigimus, fidu-  
ciam singimus, disciplinam praeceptorum nibilominus inculcationibus den-  
samus. Ibidem etiam exhortationes, castigations, & censura diuina.

Vide, inquit, ut inuicem se diligant! Ipsi enim (ethnici) in-  
uicem oderunt. Idem Tertullianus g) innocentiam morum, quibus  
christiani primi floreabant, in conspectu ac luce orbis terrarum praedi-  
cat hunc in modum: *Innocentiam a Deo edocti sumus & perfecte eam*,  
*nouimus, ut a perfecto magistro revelatam; & fideliter custodimus, ut ab*  
*incontemptibili dispeccore mandatam.* Ad hoc primorum christianorum  
exemplar respicite, *Generosi & Florentissimi Animi!* Coiuiftis & ipsi  
in coetum. Ad Deum singulis diebus ducimini. Diuiniores litteras  
in dies praelegitis & paelectas excipitis. Preces nullo non die emit-  
tis ad Deum pro incolumente Imperatoris, Imperii, Duce, Parenti-  
bus, Brunsuico, *Veftriaque omnium salute.* Censurae saluberrimae  
ac exhortationibus eorum, qui Parentes ac Tutores *Veftrios sanctissime*  
repraesentant, vitam *Veftriam* arbitratu *Veftro* & sponte submisisti. O  
quam laudabili adfectu plerique *Veftrum* sese mutuo diligunt! In *Vobis*  
veluti delectum Germaniae omnis praestantissimum mihi video rati-  
dere. Miro amore exceperitis ac souistis Anglum, sodalem *Veftrum*,  
quem nuper aegre dimisisti redditum ad patrios lares, in Comitatum  
Lancastriensem. Bataua ipsa, Indiae Orientalis vrbs celeberrima, ca-  
put ibi Belgarum foederatorum, natalem praebuit sodali, qui haud ita  
pridem sese *Vobis* admouit, adiplicuit, & inseuit. Adsumfisti eum  
amicis ac generosis sincerisque mentibus aequa ac *Wefthalos*, vt ab Oc-  
ciden-

cidente ordiar, Saxonas vtriusque territorii, Silesios, Francos, Hassos, populares, reliquosque, e Germania confluentes iuuenes ornatisimos, summae spei plenos, honoribus Parentum spectatissimos, virtute sua exsplendescentes. At vero, *Optimi*, quales erimus, annis hinc centum elapsis? Tum nemo nostrum in hac vita erit amplius superstes. Vbinam tunc erit flos ille *Vester*, forma, praestantia, consuetudo, & industria, studiis adfixa? Studendum igitur esse aeternitati beatiori, *Vos* omnes ad vnum intelligitis, vt, quos diuersa mox consilia per omnem terrarum orbem disiunixerunt ac disseminarunt, gremium Iesu Christi in vita altera feliciori iterum coniungat ac perpetuo foueat, comitesque retineat praeclarissimi status, haud intermorituri, indiuulsi.

§. XXV. Tandem de praelectionibus meis aliquid est addendum, quas publicis *Vestrisque* vslibus, adnuente Deo & moderante D<sup>r</sup>VC<sup>e</sup> SERENISSIMO, consecraui. Est hic ita laborandum, ne semper beatitudine excidamus. Est, si a precibus ad Deum dirigen-  
dis sacrisque meditationibus discelserimus, laborandum ita, vt a pietate nunquam recedamus. Adridet mihi illud Hesiodi: οὐκ αἰσθέρος ἐστίνται, ποιῶμεν ταλάς, non semper messis fuerit, componite ni-  
dos. Huc spectabunt, hoc referentur, praelectiones mihi demandatae. Pertexam, si per Deum licuerit, historiae ecclesiasticae telam, quam ad ductum *Compendii*, quod olim b. Iohannes Andreas Schmidius adornauit, inchoau, & ad quartum saeculum a Christo nato deduxi. Spes me habet, fore, vt futuro Michaëlis die finem adtingam. Pergere in graeca lingua eiusque monumentis est animus. Acta Apo-  
stolorum recensui & illustrau fere ad dimidium usque. Reliqua ad-  
iungam intra idem temporis spatium. Hesiodi *Opera & Dies* fere ad finem pertractau. Addam eiusdem *Theogoniam* & *Herculis scutum*, nisi iussu SERENISSIMI DVCIS ad alia auocer. Inquiram simul in originem theogoniarum & earum sensum. Herodotus h) auctor est,

h) Apud Athenagoram in *Legatione pro christianis* p. 16.

est, Homerum ac Hesiodum eas ad Graecos transtulisse. Persae i) ac Aegyptii k) eas iam olim magni fecerunt, accinendo l) eas sacrificiis suis illustres. Sanchoniathonis Phoeniciam theogoniam seruavit nobis Eusebius. m) An in theogonis istis patres primi ac gentium conditores, an Dei politici & inuentores, an vero Physica quaedam ars pastoritia & agrestis, lateant, eius rei ibi dabitur occasio exquendae. Persuadent sibi quidem nonnulli, Philonem Byblium supposuisse ea Sanchoniathoni, quae apud Eusebium ex illo leguntur decerpta. In horum castris militarunt Richardus Simonius, Henricus Dodwellus, P. Bernhardus de Montfaucon, & P. Augustinus Calmetus. At non deficit altera cohors, quae, illa apud Eusebium adseruata monumenta atque fragimenta prisca esse satis vera ac genuina, omni studio contendit ac argumentis haud contempnendis evincere conatur. Abbas Guyon in hoc numero est censendus n). Seniori Furmontio eadem adrisit secta, viro, cuius merita semper venerabitur posteritas, viro, qui haud ita pridem diem Parisis obiit supremum, viro, antiquitatum & linguarum orientalium peritissimo. Differuit ille de fragmenti illius momentis ex professo o), nec, id esse fidei accommodatum ac congruere veritati, insitari sustinuit. Samuel Bochartus eadem secutus fuit p) castra, licet Sanchoniathonem q) suo sensu crediderit fabulosum. Richardus Cumberlandus, Episcopus Petroburgensis in Anglia, cuius vitam concinnauit ediditque S. Payne Londini 1720. 8. r), multum laboris impendit Sanchoniathonis fidei vindicandae, eiusque theogoniae exponendae, in libro *Sanchoniatho's Phoenician History*, Londini 1720, 8.

s) etul-

- i) Diogenes Laërtius in *Prooem.* p. 5. ed. Colon. Allobr. a. 1616, 8.
- k) Diodorus Siculus I. 7. 8.
- l) Herodotus I, 132. p. 57. Frf. 1608. fol.
- m) *De præpar. Euang.* I, 9. 10.
- n) *Histoire des Empires & des Républiques depuis le Déluge jusqu'à présent.* à la Haye 1735; 8. T. IV. p. 124. sqq.
- o) In Libro *Reflexions historiques sur les Histoires des Anciens Peuples*. Paris 1735. 4. Tom. I. L. I. II.
- p) In *Canaan* II. 2.
- q) De eo b. Ioannes Albertus Fabricius in *Bibl. graeca* I, 28. p. 163. sqq.
- r) *Acta Erud.* Lips. lat. 1722. p. 532. sqq. Prolegomena ad Cumberlandi *Li- brum de Legibus Naturæ*.

s) euulgato. Aristoteles existimauit t), theogonias veterum exclusisse Deum, siquidem in eis Oceanus & Tethys extiterint parentes omnis generationis. Homerus certe eas haud alio tramite v) fuit secutus, quem tamen praeiuerunt scriptores x) antiquiores. Aristophanes idem impium, vt Rudolphus Cudworthus y) id adpellat, theogoniae genus z) repetiuit. Orpheus, qui Musaei discipulus fuisse & una cum Hercule nauigasse dicitur \*), accusatur vulgo mutatae & amplificatae apud Graecos theogoniae. Non est hic nostrum, momenta istius accusationis ad libellam rationis reuocare. Alias id ipsum fiet multo oportunius. Iam ad reliqua. In recensione scriptorum graevorum insistam, quem coepi decurrere, tramitem, nisi, vt salubriora substituam, numen SERENISSIMI iusserit. In studio geographic, cui historia specialior & regionum indoles ac ipsa heraldicae rei notitia, iuncta est, gradum promouebo ad Italianam, ac ea, quae supersunt, pensa eodem tempore, si Deus permiserit, absoluam. Si forte ab horis consuetis sit resiliendum, id omnino ex tabula publica Carolini vt in notitiam cuiuscunque, cuius id nosse intererit, perueniat, promte perficiam. Et haec sunt, quae Vobis, Generosi & Florentissimi ac Honoratissimi Commititones, erant significanda. Quod superest, valete, me porro fauore Vestro prosequimini, rebusque perpetuo gaudete faustis ac secundis. Datum ac publice proposatum ad VI. Aprilis MDCCXLVI. Brunsuici.

s) Aucta eadem 1722. p. 524 sqq.

t) Metaphysic, I, 3. Tom. IV. Opp. 265.

v) Iliad. E. v. 258. 303. 304. 343.

x) Plato in Theaeteto p. 118.

y) In Systemate intellectualis huius vni-

versi c. 3. §. 17. p. 117. edit. & vers.

Ven. I. L. Moshemii Jenae 1733. fol.

z) In Aeneis v. 694. p. 404. ed. Küfferi.

\* Clemens Alexandrinus Strom. I. p. 332.



00 4 6466

ULB Halle

002 937 239

3



5b.

VO 17 Fe. 74.  
Rhein



**Farbkarte #13**



B.I.G.  
Black

DE 7  
**THEOLOGIA  
PRIMORVM  
CHRISTIANORVM  
DOGMATICA,**

EX  
MONUMENTIS PATRVM ECCLESIASTICIS  
COLLECTA,  
PROGRAMMatis SECUNDI BRVNSVICENSIS LOCO  
DISSERIT ET  
PRAELECTIONES SVAS PVBLICAS  
SEMESTRI PROXIMO PERAGENDAS,  
ATQVE IN

**ILLVSTRI CAROLINO**  
BRVNSVICI DEO ADVENTE EXPROMENDAS,  
DENVO INDICIT

**IO. CHRISTOPHORVS HARENBERG,**  
PRAEP. COEN. S. LAURENTII SVPRA SCHENINGAM,  
GEN. SCHOL. INSPI. DOC. IN CAROLINO HONORARIUS  
AC HONORARIUS REGIAE EIUSQVE BORVSSICAE  
SCIENTIARVM ACADEMIAE SODALIS.

BRVNSVICI M DCC XLVI. PASCH.